








ROMANI PONTIFICIS PRIVILEGIA.





ROMANI PONTIFICIS PRIVILEGIA

Adversus novissimos Osores Vindicata.

DUPLEX DISSERTATIO
CUM
DUPLICI APPENDICE.

AUCTORE

F. ALOYSIO M. LUCINO

Ord. Præd. S. Th. Magistro, & in Urbe Commissario Generali sancti Officii.


EDITIO SECUNDA AUCTIOR,

In qua Anonymi dissertatio apologetica, seu infallibilitatis Pontificiæ justis terminis circumscriptæ explicatio atque defensio expenditur, & refutatur.





VENETIIS MDCCXXXV.
Apud Bartholomæum Javarina.
SUPERIORUM PERMISSU.



PRÆFATIO.

COncuti possumus, constantia vacillare nec possumus nec debemus: Quemadmodum enim contra stimulum calcitrando, ipsi nos compungimur, perinde est manifestæ veritati reniti, & ad opposita divertere ingenium. Res se prodit, quum de Romani Pontificis privilegiis, divina tantum largitate concessis, fastidioso animo quis agere aggreditur, & quum ea labefactare frustra conatur, omnem machinam admovet, & per commenta quatere saltem, & exagitare molitur. Anno 1730. e Typis Luxemburgensibus inopinato erupit bipartitum volumen,

hoc inſcriptum titulo: *Defenſio declarationis celeberrimæ, quam de poteſtate Eccleſiaſtica ſanxit Clerus Gallicanus XIX. Martii MDCLXXXII. ab Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Jacobo Benigno Boſſuet, Meldenſi Epiſcopo ex ſpeciali juſſu Ludovici Magni Chriſtianiſſimi Regis ſcripta, & elaborata; Nunc primum in lucem edita, ſummoque ſtudio ad fidem autographi Codicis exacta*. Opus omnigena arte elaboratum de Eccleſiaſtica poteſtate geſtit jura ſancire, quum ea evellat, & deſtruat, eradicet, ac diſſipet. Et quidem in capite, ut illo avulſo cætera corporis myſtici membra flacceſcant, & pereant. De vetuſta traditione prope finem

cur-

curſim ſermo percurrit; Patres vel præterit, vel obtruncat. Potiſſime Scriptores caliginoſæ ætatis diſcutit; & ut veritatem cæcutientibus involvat, ex diſſidiis, ex ſchiſmate argumenta deducit, quæ mentem obnubilant, pronumque flectunt animum ad ſimilia cienda. Toto conatu incumbit, & urget, ut Seſs. IV. & V. Concilii Conſtantienſis decreta evincat, & in obtortum ſenſum traducat; perinde ac ſi tota Eccleſiæ traditio, & Conciliorum, & Patrum, maximeque Romanorum antiquiorum Pontificum palantes Sanctiones, decreta, & teſtimonia extra traditionem avitam ableganda ſint,

ne novitatem delumbent. Ecquis ſibi animo fingere unquam poterit, Jacobum Benignum Boſſuet Epiſcopum Meldenſem hujus operis auctorem fuiſſe, qui apprime edoctus in profligandis hæreſum monſtris, detegendiſque novantium latebris, noverat, qua incedendum ſit, ut veritas inviolati thori ſponſa ab irruentibus hoſtibus eripiatur, ac vindicetur? Nonne perpetuo ille Epiſcopus uſus eſt Apoſtolica, & Eccleſiaſtica traditione ad revincendos fidei oſores, & dogmatum infenſiſſimos præſtigiatores? Poſtremo cogitandus erit ſui penitus oblitus, ut peſſundata pervetuſta Eccleſiæ doctrina, ad

no-

novitatem obtrudendam calamum admoverit, de Schiſmate in Schiſma argumentum abripiens ? Itaque in male parto opere totum ſe effundens in damnum, injuriamque Pontificiæ auctoritatis, qua vacillante tota poteſtas Eccleſiaſtica perturbata prodigitur, & exhauritur, aliquis male compos animi voluit ſuum caput obtegere, aſcito eximii viri nomine, ne callida ars deeſſet, qua ſimplicibus fucum faceret, & virus ſuum potentius afflaret impunis.

Vix lenitate ſapientum, atque proborum contemptu, quo liber exceptus eſt, veneficii videbatur toxicum conſo-

pi-

pitum, quum ecce typis Patavinis alterum opus procusum sequenti titulo adornatum: *De Romano Pontifice in ferendo de fide, moribusque judicio, falli, & fallere nescio: Eodemque Conciliis Oecumenicis auctoritate, potestate, jurisdictione, superiori: Dissertatio duplex. Accedit Appendix de mente Ecclesiæ Gallicanæ, & Academiæ Parisiensis circa duo illa Sedis Apostolicæ privilegia. Auctore F. Jacobo Hyacintho Serry Ord. Præd. S. T. M. & in Academia Patavina primario Sacræ Theologiæ Professore.* Præclari tituli lenocinio, & illustri auctoris fama illectus animus avidius adspexit opus, & mentem adjunxit. Verum in limine spes tota lecto-

ctorem fefellit. Etenim agens de Pontifice Romano falli, & fallere nefcio, quum de fide, moribufque judicium dicit, totum privilegium ad confenfum Ecclefiæ fpecialis Romanæ devolvit, exuitque potiori gemma Pontificium, qua geftiebat in titulo profiteri infignitum divinitus. Qua vi argumentorum, qua Patrum auctoritate, qua Ecclefiæ traditione hæc commenta obtrudantur, altum filentium: Ut inde compertum fieret male adinventam opinationem fuo in ortu occubuiffe.

Cogitaveram concifæ tot plagis auctoritati fore tandem parcendum, quum hoc eodem anno 1733. recruduit vul-

nus

nus per Placitum Parisiensis Senatus, quo repetitis spiculis in Pontificia privilegia sævire nedum per summam injuriam visum est, sed una quoque ad labefactandam episcopalem curam erga gregem sibi commissum, ne ab hæreticis deciperetur, efferato animo insurgere. Hujusmodi facinora animum vehementer commovent, dum veretur, ne desidiæ indulgens pacatior cernat innocentes in devia corruere. (1) Maledictionibus repleri singularis tessera est eorum, qui Christo adhærent. Attamen satis non est cum Apostolo clamare: (2) *Maledicimur,*

mur,

(1) 2 ad Tim. 3. 12.
(1) ad Cor. 4. 12.

mur, & benedicimus, perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus. Ingemiſcere cogimur, & quidem juſte: (1) *quoniam cogitaverunt unanimiter, ſimul adverſum te teſtamentum diſpoſuerunt*, ut devicta Eccleſiaſtica poteſtate, exuta imperio Eccleſia coacta ſit vivere ſub tributo. O miſeram temporum, rerumque conditionem! Quo trahit unumquemque voluptas? Vexatur Eccleſia, fides concutitur, hæreſes expanſis audaciæ viribus ſupercilium tollunt; & ubi bellum adverſus Chriſti hoſtes conflagrare opus eſſet, in Romanum detorquetur Pontificem,

in

(1) Pſalm. 82. 6

in ecclesiasticam potestatem manus & arma convertuntur, ut prostrata ejus virtute cuncta simul turbentur. Antiqua Ecclesiæ traditio divinis, & evangelicis consignata literis inviolata jugiter voluit Pontificia privilegia, voce Christi donata, Conciliorum Sanctionibus prædicata, ac Patrum decretis concelebrata, hæreticis dumtaxat invisa, & infensa. Quo fato, qua innovandi libidine, vel temporis injuria factum sit, ut antiquis contemptis doctrinis opportune, vel importune ad fabulas, & jurgia calamus convertatur, illi norunt qui animadvertunt, quod origo dissidiorum semper divagatio fuit, & inobe-

dien-

dientiæ ſtudium . Novella nunc, & teterrima lues una ſecum rapit dogmata, Eccleſiam, atque fidem . Sublato quippe capite, & Judice infallibili quæſtionum de fide , unuſquiſque propria volubilitate abreptus in pugnantes opinationes effunditur : (1) *Sub cujus neceſſitatis tanquam improbabili occaſione, ſcribendæ, atque innovandæ fidei exinde uſus inolevit*; ut verbis utar Hilarii. Et poſtquam cœptum eſt nova potius condere, quam accepta retinere, nec vetera defendi conſpiciuntur , nec innovata firmari , adeout facta ſit fides temporum, neutiquam Eccle-

ſiæ

(1) ad Conſtan. l. 2.

ſiæ Catholicæ. (1) *Non erubeſcimus ſtultitiæ, non noſmetipſos irreligioſitatis arguimus, Dei arguimus, Dei arcanis, Dei virtutibus calumniantes?*

His plane virtutibus, arcanorumque myſteriis inſtitutus a Chriſto probatur in Petro Pontifex Maximus, qui totius ovilis ſupremus ſit Paſtor, univerſæque Eccleſiæ Pater, Magiſter, & Judex, ut inde univerſæ gentes, & populi addiſcant, cui in Eccleſia militante debeant animi obſequium, mentiſque obedientiam puram. Aliter ſapere, neſcire eſt; & vinculum pacis abrumpere, ſine qua Eccleſia Chriſti nequit conſiſtere. Cun-

ćta

(1) Hilar. l. 1. ad Conſt.

cta recte diſpoſita ordinem exigunt. (1) Nimirum ut infima a mediis, media a ſuperioribus connexa dependeant, quin Unum deſideretur, a quo cætera regantur, ut in ordine contineri ſuo pro indefectibili ſapientiæ modo, compellantur. Qui aliter turbare conati ſunt, perturbati ab Eccleſia exceſſerunt, & in confuſionis barathrum irruerunt. Omnibus perſpectum eſt, quanta in converſione rerum, ac perturbatione verſentur Eccleſiæ negotia, quanta ſit ubique trepidatio, qui tumultus, quæ turbæ, quæ tempeſtas, quantæ procellæ. Nunquid tamen unicuique deeſt malo

†† re-

(1) Pius II. in Bull. retract.

remedium? Convertamur ad Dominum, ipſeque pro ſua infinita Clementia viciſſim ad nos convertetur. Suo quiſque muneri reſpondeat, neque ordinem divino nutu decretum pervertat. Pontifex ſummus ſua gaudeat poteſtatis plenitudine in ovile, & oves, cujuſcumque conditionis ſint, ne extorres ab ovili Chriſti judicentur, qui ſubeſſe Paſtori detrectant. Cæteri ſubalterni Paſtores præſint, & paſcant populum ſibi commiſſum, forma facti gregis ex animo, ut fidem augeant, & mores in melius reforment, ſalva debita obedientia tum in Synodis, tum extra, ei, qui ſummus præeſt. Principes ſuum

gla-

gladium portent; (1) Ministri quidem sunt Dei, vindices in iram illis, qui malum agunt, ut Apostolus monet; strictius tamen reddituri Deo rationem, quo magis a timore hominum distant. Magistratus suo sint contenti jure administrandi Rempublicam, justi, & æqui defensores, dimissis Sacerdotibus Dei spiritualibus curis, quemadmodum providecavit Rex Christianissimus (2) Ludovicus XIV. lato edicto anno 1695. Tandem qui laici sunt, sciant reverenter obtemperare debere Sacerdotibus, non præesse. Qui Sacerdotali eminentia præstant,

(1) ad Rom. 13. 4.
(2) Cap. 11. cap. 34. & 35.

noverint in ædificationem, non in destructionem Domus Dei se præordinatos fuisse. Nemo sibi blandiatur, fas esse statutum ordinem variare, aut miscere, vel moris, vel temporis callide ascita consuetudine. Quæ divina decernuntur providentia, libertate hominum non permittuntur commoveri, sed Ultorem ipsum Deum transgressor experietur. Faxit Deus, ut in bonum monstra convertantur; omnia componantur ad unum; penitus novitates obsolescant, & quæ majorum auctoritate tradita sunt, altius infixa animis postliminio revocentur. Recedat quidquid humana adulatione invectum est, & e-

li-

liminata præpoſtera politia, quæ cauſam Religionis corrumpit, conemur deſciſcere ab iis, quæ pacem, atque concordiam Sacerdotium inter, & imperium nedum intercipiunt, ſed funditus abrumpunt, & diſſipant.

Ad hæc ſarcienda, violata in primis Romani Pontificis privilegia pro viribus vindicare annitar, quem ut indefectibilem in fidei, morumque definitione Judicem, Eccleſia Univerſa etiam in Concilium coacta Superiorem auctoritate, poteſtate, ac juriſdictione colo, & complector. Summum mihi decus ceſſurum arbitror, ſi quantulacumque portione mea tantæ rei vim adji-

ciam; non eo fascino illectus ut vice Atlantis Pigmæus valeam Cælum sustinere; sed ea fiducia fretus, qua etiam pueriles manus in perniciem gigantum, in nomine Domini instructæ, palæstram subeunt. Traditione innixa evangelicis constitutis hostes aggrediar, potiorique loco distribuam eorumdem Romanorum Pontificum auctoritates, quibus omni ævo privilegia sua, & Apostolicæ Sedis tutati sunt, & Universo Orbi deprædicare nusquam destitere, quum ne mussitaret quidem quispiam orthodoxus. Tantum procax hæresis renisa est, & pervicaciæ suæ pœnam dedit. Prolixitatem intercidere studebo,

ne

ne veritati ſe ſe prodenti fucum facere videar; & ſi quid aſperum calamo excidere continget, parcant eruditi; non enim ad contumeliam dictum velint, ſed ad vim argumenti revocandum eſſe probabunt. Cæterum ſi ſepoſitis partium ſtudiis rem cum re conferent, animadvertent ad ſummam Religionis apprime Romani Pontificis privilegia conducere, imo præire; neque tanquam adiaphora circumſpici; vel cogitari poſſe, quæ vivam regulam fidei certam in univerſum præſtituunt.

INDEX

DISSERTATIO I.

DE

ROMANI PONTIFICIS

Ex Cathedra loquentis indefectibili judicio.

§. VIII.

§. XXII.

suſ-

Diſ-

DISSERTATIO SECUNDA DE ROMANI PONTIFICIS

Auctoritate supra Concilium etiam Generale.

§. VII.

§. XXII.

APPENDIX.

APPENDIX ALTERA

NOI

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis & Servus.

HArum serie, nostrique auctoritate officii licentiam concedimus Rev. Patri Magistro Fr. Aloysio Mariæ Lucino Provinciæ nostræ Utriusque Lombardiæ Commissario Generali Sancti Officii in Urbe, imprimendi opus ab ipso compositum, cui titulus: *Romani Pontificis Privilegia adversus novissimos Osores Vindicata &c.* servatis tamen aliis de jure servandis. In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 15. Novembris 1734.

Fr. Thomas Ripoll Mag. Ord.

S. L. ✠

Reg. fol. 92.
Fr. Dominicus Ponsi
Mag. Exp. & Socius.

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di revisione ed approvazione del P. F. *Tommasomaria Gennari* Inquisitore, nel libro intitolato: *Romani Pontificis Privilegia*, non v'esser cosa alcuna contro la santa Fede Cattolica; e parimente, per Atteslato del Segretario nostro, niente contro Principi e buoni costumi, concediamo licenza a *Bortolameo Giavarina* Stampatore, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 25. Gennaro 1734.

(Andrea Soranzo Proc. Rif.
(Z. Pietro Pasqualigo Ref.
(

Agostino Gadaldini Segrét.

DISSERTATIO PRIMA DE ROMANI PONTIFICIS *EX CATHEDRA LOQUENTIS* INDEFECTIBILI JUDICIO.

§. I.

Status quæstionis exponitur.



Cturus de indefectibili judicio, seu de infallibilitate, ut schola loquitur, Romani Pontificis, statum quæstionis præmittam, oportet; ne ambagibus infinitis implicata ad sensum præposterum pertrahatur, & suis ipsis principiis hæreat obvoluta. Itaque quæritur: *An Romanus Pontifex docens ex Cathedra, seipso, independenter & divisim à qualibet conditione, sive prævia, sive concomitante, sive consequenti, sit infallibilis (ut scholastici dicunt) quum in causis fidei, vel morum supremum profert judicium, adeo ut de necessitate sa-*

lutis ab universa Ecclesia sit ei corde , & ore obediendum . Ex Cathedra quippe tunc intelligitur loquens Romanus Pontifex , quando in causis fidei , & morum sententiam ad universam Ecclesiam dicit , cui proinde refragari summum est piaculum , quum non nisi ad errorem , vel hæresim declinandum remaneat.

Non abnuunt adversarii , quibuscum agitur , profiteri Romanum Pontificem in proferendo judicium ex Cathedra in causis fidei , vel morum , infallibilem esse , dummodo accedat fidelium consensus ; qua clausula , sive conditione adjecta opinionem obstetricantur , quæ in ipso exordio seipsam interimit ; Abeuntque limine in diversas prorsus opinandi ambages. Alii etenim consensum universalis Ecclesiæ contendunt necessario accedere debere , neque explicare curant , an pro complemento , vel pro effectu , vel pro signo , vel pro conditione illum exigere velint , quum lubenti animo disputantibus investigare permittant , salva tamen necessitate eundem expectandi , ut judicium ad fidem pertinere infallibiliter censeatur .

Alii Romanum Pontificem infallibilem esse censent , quum ex Cathedra loquitur , si prævio examine , atque Cardinalium consilio , & assensu , quos Ecclesiam Romanam , intra urbis ambitum clausam , re-

præ-

præsentare intelligunt, judicium ferat in causis fidei, vel morum. Quod perinde est, ad assensum Ecclesiæ Romanæ, quatenus specialis Ecclesia est, Pontificiam coarctare infallibilitatem. Requirunt quoque in ferendo judicio quasdam formulas, quas explicare dedignantur, quia forte neque adinvenire fuit illis possibile.

Verum quantum a via quæstionis aberrent, compertum sit, animadvertendo, quod adjectæ clausulæ, sive conditiones Pontificiam infallibilitatem prorsus præfocant, & extinguunt. Nonne quilibet Episcopus sententiam dicens in causis fidei vel morum, si accedat consensus universæ Ecclesiæ, vel juxta alteram opinionem, Ecclesiæ Romanæ, infallibilis evadet? Unde igitur extundi poterit Privilegium Romani Pontificis supra cæteros Orbis Antistites, & forte alios Judices Ecclesiasticos inferioris ordinis, si æque infallibilitatem in judicio ferendo possunt sibi arrogare? Cur tot Episcopi, cur tot concilia provincialia, vel particularium diæceseon, quæ tot hæreses, ante coacta concilia generalia, & ante sententiam Romani Pontificis prædamnarunt, ejusdem vel paris infallibilitatis prærogativa gaudere non poterunt, semel ac accessisset Ecclesiæ consensus, pro coronide hujusmodi judicii lati?

Quæstionis igitur, de qua agitur, nodus

est: An Romanus Pontifex præ cæteris Episcopis toto Orbe dispersis, ex privilegio a Christo Domino Petro concesso, & per Petrum successoribus ejus, sit se ipso ex Spiritus Sancti indeclinabili assistentia infallibilis, quoties ex Cathedra loquitur. Ita esse pro veritate contendo, & negantes suis ipsis principiis jugulari, & secum pugnare ostendam; non neglecta Petri Chrysologi sententia dicentis: serm.52. *Doctoris officium est lecta disserere, & mysticis obscurata sensibus lucido astruere, & demonstrare sermone: ne minor intelligentia inde perniciem generet auditori, unde scientiam conferre debuit, & potuit salutarem.*

§. II.

Ex oratione a Christo Domino pro Petro fusa desumitur primum fundamentum pro infallibilitate Romani Pontificis.

IN supremæ nocte cœnæ Christus Dominus cum discipulis suis recumbens, concionem instituit, qua ardentissimi sui amoris flammas explicans, tum in spem futuræ mercedis, tum in fortissimum remedium pro compescendis mox ingruentibus tentationibus, imparatos eorum animos erexit. Deinde ad Petrum sermonem inflectens,

ctens, sic cum est alloquutus, ut narrat Lucas cap.22. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Tria observanda ex se ipsis occurrunt. I. Fusam a Christo orationem pro Petro efficacem fuisse, suumque effectum obtinuisse. II. Christi orationem pro finali Petri indeficientia interpositam fuisse. III. Ut infallibilis suæ doctrinæ accepta prærogativa constantes in fide roborare, nutantes vel debiles confirmare, devios revocare, ignaros instruere Petrus satageret. Singula Sanctorum Patrum auctoritate commonstrabo.

Divus Augustinus de corrept. & grat. c. 8. ait. *Sed quia præparatur voluntas a Domino, ideo pro illo* (Petro) *Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogavit ergo* (Christus) *ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem?* Theophylact. in cap. 22. Lucæ. *Quia* (inquit) *te habeo ut Principem discipulorum, postquam negato me fleveris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros: Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es, & firmamentum.*

Sanctus Leo serm. 3. Relatis verbis Lucæ cap.22. ita concludit. *Pro fide Petri proprie*

ſupplicatur, tanquam aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens Principis victa non fuerit. In Petro omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur. S. Agatho ep. ad Conſtantinum Imp. quæ in 6. Syn. acclamationibus excepta fuit, inquit: *Hæc eſt vera fidei regula, quam & in proſperis, & in adverſis veraciter tenuit, ac defendit hęc ſpiritalis mater tranquilliſſimi Imperii veſtri, Apoſtolica Chriſti Eccleſia: quæ per Dei omnipotentis gratiam, a tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit: ſed ut ab exordio fides Chriſtiana percepit, ab auctoribus ſuis Apoſtolorum Principibus illibata finetenus permanet, ſecundum ipſius Domini divinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum principi in ſacris Evangeliis fatus eſt: Petre, Petre, ecce Satan expetivit vos. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*

Sanctus Leo IX. ep. ad Petrum Antiochenum ſcripſit. *Solus eſt ille* (Petrus) *pro quo ne deficeret: ejus fides, Dominus, & Salvator noſter aſſerit ſe rogaſſe. Quæ venerabilis, & efficax oratio obtinuit, quod hactenus fides Petri non defecit, nec defectura creditur in throno illius uſque in ſæculum ſæculi; ſed comfirmabit corda fratrum variis con-*

concutienda fidei periclitationibus, sicut usque nunc confirmare non cessavit.

S. Bernardus ep. 190. ad Innoc. II. *Oportet, ait, ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præcipue, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quidem hujus prærogativa sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua? Ergo quod sequitur, a Petri successore exigitur; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos ... In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & sedem, si vestra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis.*

Innocentius III. epis. ad Patriarcham Constantinopol. ait. (1) *Pro eo* (Petro) *Dominus se orasse fatetur, inquiens, in articulo passionis: ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos: ex hoc innuens manifeste, quod successores illius nullo unquam tempore deviarent, sed revocarent magis alios, & confirmarent hæsitantes; propter hoc sic ei confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi.*

Tandem omissis aliis, claudat D. Thomas agmen Patrum tam diserte testifican-

(1) Bosquet. in Gest. Inn. 3. pag. 41.

tium Petri, successorumque indeficientiam in fidei judicio. Ille enim 2. 2. q. 1. art. 10. docet. *Ad illius auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cujus auctoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur; Hoc autem pertinet ad auctoritatem summi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur, ut dicitur in decretal. extra. de Baptismo cap. Majores: Unde & dominus Luc. 22. Petro dixit, quem summum Pontificem constituit: ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando confirma fratres tuos: & ratio hujus est, quia una fides debet esse totius Ecclesiæ secundum illud 1. ad Cor. 1. Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; quod servari non posset, nisi quæstio fidei de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia firmiter teneatur.*

Res igitur tota in tuto est. Habemus scilicet ex auctoritate Patrum orationem a Christo fusam proprie pro Petro fuisse; suumque eventum, ne deficeret in fide, (1) tunc obtenturam esse, quando conversus ab oris, non cordis, negatione, constitutus Apostolorum Princeps, universæque Ecclesiæ summus Pastor, confirmandi in fide cæteros fratres pro dignitate, & officio

(1) August. l. contra Mend. c. 6.

ficio curam esset sumpturus. Habemus quoque promissionem Christi pro indeficientia Petri in fide ad successores derivatam fuisse, unaque cum præcepto confirmandi fratres; neque unquam legitur illigandam fore vel consensui universalis, vel assensui particularis Ecclesiæ Romanæ; alias promissa indeficientia ambagibus, & involucris inextricabilibus implicata ad confirmandum in fide prorsus esset inutilis.

Et sane quo pacto consistet confirmatio in fide, si semel fratres hæsitare poterunt de indeficientia fidei in Petro, de infallibilitate quoque sui judicii? Hærere necesse foret in limine, neque solidum præbere possent fideles assensum, qualis ab ipsa indeficientia exigitur. Itaque ne Christi oratio penitus evanescat, dicendum est cum Innocentio III. superius relato, nihil aliud requiri ad Petri infallibilitatem, neque hanc aliud exposcere, nisi necessitatem obsequendi: Siquidem *propter hoc sic* (Petro) *confirmandi alios potestatem* (*indulsit*), *ut aliis necessitatem imponeret obsequendi*.

Vim argumenti declinare satagunt nonnulli dicendo; Petrum adhuc post Christi fusam orationem defecisse per trinam abnegationem, subduntque; non proinde læsam arbitrari nos posse infallibilitatem Petri, quia conversus valuit confirmare fratres. Cur igitur quilibet alter ejusdem Petri

suc-

successor æque non poterit, etiam docens ex Cathedra, errare, quin error lædat indeficientiam sedis Apostolicæ, in qua vel ipse ab errore conversus, vel alter successor sedens resarcire valeat damna fidei, revocando, & confirmando fideles in veritate doctrinæ?

Hoc effugium est in casses incidere, Christique orationi, & latæ pollicitationi illudere. Petrus defecit utique per trinam oris abnegationem, ut fusis lacrymis a peccato conversus fieret cæteris in exemplum pœnitentiæ, ut ait Theophylactus Luc. 22. ita permittente, ac disponente divina providentia; sed nondum Pontificiæ dignitatis honore tunc potiebatur, ut superius innui. Quorsum autem hæc, si daretur Petrum vel alium successorem in Pontificem electum posse in sententia pro Tribunali lata deficere, quia vel ipse, vel alius violatam fidem compensabit? Si semel est deficiens in sede unus Pontifex, cur sedes inviolata permanet? Cur alteri, & alteri successori non est commune deficiendi periculum? Cur errante Pontifice, tota Ecclesia in eundem non prolabetur errorem? Quomodo confirmabit Petrus, vel successor in fide fratres, quos jam corruptos videbit in ea fide, quam jam violatam a prædecessore propinabit & ipse? Quomodo stat firma, & inconcussa oratio efficax, & pollicitatio certissima Christi?

Proh

Proh si hæc admittantur! Undenam sana mente concipere est hujusmodi ecclesiam fuisse illam, quam tanta sapientia constituit Christus nunquam in fide defecturam?

§. III.

Instauratur argumentum ex altera promissione Christi Petro dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

SOluta a Petro Christi Domini interrogatione, qua poscebatur: *Quem dicunt homines esse filium hominis*; ut habetur Matth. 16. per illam altissimam confessionem: *Tu es Christus filius Dei vivi*; statim idem beneficus Magister liberalissime spopondit in hæc verba: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; dico tibi, inquit Hieronymus, *non sermone casso: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Quod est innuere, substruendum fore totum Ecclesiæ ædificium super ipsum Petrum, qui ut petra immobilis, ut basis inconcussa, ut fundamentum inviolabilis firmitatis universæ Ecclesiæ, fideique ejus, præesse, & gestare debebat. Tam alta promissio uni Petro præ aliis Apostolis contigit. Una Ecclesia ab uno Petro fulcien-

cien-

cienda decernitur. Ergo hic Petrus, hæc petra invincibilis fidei, indefectibilis judicii, & imperterriti roboris pro certo habenda erit, ne cogamur indigna proferre, quasi minus provide fuisset consultum insigni adeo ædificio, quod Christus educturus erat in terris. Cumque Privilegia Petro concessa Ecclesiam tangentia in successores derivanda forent, non est cur cæteris Romanis Pontificibus eadem fidei soliditas, eadem judicii infallibilitas denegetur.

Singula autoritate Patrum exsolvam. Tertullianus de præscript. c. 22. *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petram dictum, claves Regni Cælorum consequutum, & solvendi, & alligandi in cælis, & in terris potestatem?*

Origenes: *& de veritate quidem dicebat* (Petrus): (1) *Tu es Christus filius Dei vivi: in quo & beatificatus est, & per promissionem meruit fieri Ecclesiæ fundamentum.* Et alibi (2): *Vide vero*, inquit, *quantam habebat vim petra supra quam a Christo construitur Ecclesia, & omnis, qui dicit: Tu es Christus filius Dei vivi: ut hujus judicia firma maneant; tamquam Deo in illo judicante: ut in hoc ipso, quod judicat, non prævaleant adversus eum inferorum portæ.* Hoc tamen servato discrimine, ut Petrus ma-

(1) Tract. 3. in Matth. c. 17.
(2) Tract. 1. in Matth.

magiſtri munus agens firmiſſime judicet: alii ut diſcipuli edocti firmiſſime credant.

S. Cyprianus ep. 73. *Nam Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit eccleſiam ſuam, & unde unitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in cælis, quod ſolviſſet in terris.* Et de unit. eccl. *Qui Cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt eccleſia, deſerit, in eccleſia ſe eſſe confidit?* S. Hilar. in Matth. c. 16 *O in nuncupatione novi nominis felix eccleſiæ fundamentum; dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolveret: cujus terreſtre judicium præjudicata auctoritas ſit in cælo, ut quæ in terris aut ligata ſint, aut ſoluta, ſtatuti ejuſdem conditionem obtineant, & in cælo.*

Et in Pſalm. 131. ait: *Ut Petrum primum filii Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cæleſtis regni janitorem, & in terreno judicio Judicem cæli nuncuparet.*

S. Epiphanius in Ancorato c. IX. *Omnibus quippe modis, inquit, in eo* (Petro) *ſtabilita fides eſt, qui cæli claves accepit... In eo ſiquidem ſubtiliores quælibet fidei quæſtiones reperiuntur.*

S. Ambroſius de Virg. *Non confuſus eſt Petrus, ... vir enim ſapiens, & gravis, in quo eſſet Eccleſiæ firmamentum, & magiſterium diſciplinæ.*

S. Hie-

S. Hieron. in Matth. cap. 16. *Ita & Simoni, qui credebat in Petram Christum, Petri largitus est nomen; ac secundum metaphoram Petræ recte dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te.*

S. Jo: Chrysost. loquens de Petro ait. *Columna Ecclesiæ, & fundamentum fidei Princeps Apostolorum Petrus.* super Psalm. 50. hom. 2.

Sexcenta alia Patrum testimonia prætereo, quum allata ad satietatem sint. Postulabit tamen aliquis, quid Petro advenerit per hanc fundamenti dignitatem, & onus? Huic prudenti expectationi respondeat Magnus Leo in hæc verba differens: (1) *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Hæc prima, & potior prærogativa Petri qui a Christo constitutus est fundamentum, & basis Ecclesiæ, contra quam nunquam prævaliturae essent portæ inferi. Hinc si contra Ecclesiam nunquam valere poterunt tartareæ vires, nemo quoque in suspicionem adducetur, posse contra ipsum fundamentum præpollere, quod plane indicat infal-

(1) Serm. 3. in anniverſ. ſuæ aſſumpt.

fallibilitatem judicii, qua universalis Rectoris munus potissime expletur. *Magnum, & mirabile, dilectissimi*, prosequitur S. Leo, *huic viro* (Petro) *consortium potentiæ suæ tribuit divina dignatio: & si quid cum eo commune cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid aliis non negavit*. Unde si qua auctoritas, si qua potestas, si qua soliditas in doctrina, & ministerio cæteris collata legitur, non nisi per Petrum concessa censeri debeat, quemadmodum ex D. Cypriano, & D. Ambrosio supra relatis discimus. *In his verbis Apostolicæ sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est Catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano*: (1) inquit August. referens verba, & sententiam Zozimi PP.

Pergit deinde (2) S. Leo apertissime, & planissime explicando legitimum jus prælibati Privilegii, dicens: *& ego, inquit* (Christus) *dico tibi, hoc est sicut Pater meus tibi manifestavit divinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus: idest, cum sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum; ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi*

(1) Epist. 157. ad Optatum Episc.
(2) Serm. 3. in Anniverf. suæ assump.

mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Super hanc inquit fortitudinem æternum extruam templum, & ecclesiæ meæ cælo inserenda sublimitas, in hujus fidei firmitate consurget.

Nemo certe contendet in Petro fuisse successores Romanos Pontifices designatos, nisi audeat in meridie cæcutire. Nonne Innoc. I. scripsit: (1) *Quoties fidei ratio ventilatur... non nisi ad Petrum, idest sui nominis, & honoris auctorem referri debere?* Nonne S. Hieronymus ad Damasum scribens exclamat: *ego interim clamito, si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est?* Nonne S. Petrus Chrysologus monens Eutychen rescripsit: (2) *Quæ a Beatissimo Papa Romanæ Civitatis præscripta sunt, obedienter attendas; quoniam B. Petrus, qui in propria sede, & vivit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem?* (3) Nonne D. Bernardus ad Innocentium PP. dixit: *In eo plane Petri impletis vicem, cujus tenetis & sedem?* (4) Nonne Patres Concilii Tricassini II. ad Romanum Pontificem scribentes fassi sunt: *Nos famuli, & discipuli Galliarum, & Belgicarum Episcopi, ve-*

(1) Epist. ad Concil. Milev.
(2) Ep. ad Eutichen.
(3) Ep. 190. ad Innoc. II.
(4) Tom. 3. Concil. Gall. ad An 878.

vestræ auctoritatis ... Judicium, quod privilegio divi Petri, & sedis Apostolicæ ... protulistis, voto, voce, & unanimitate nostra prosequimur? (1) Nonne in Ephesino Concilio Philippus Presbyter S. R. Ecclesiæ, ita Patres est allocutus: *Nulli dubium, immo sæculis omnibus notum est, quod S. Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps, & caput, fideique columna, & Ecclesiæ catholicæ fundamentum, a domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis, ac redemptore claves cæli accepit ... qui ad hoc usque tempus, & semper in suis successoribus vivit, & judicium exercet?* Nonne toties in Conciliis generalibus a Patribus acclamatum est: *Petrus per os Leonis: Petrus per os Agathonis locutus est?* Nonne quum Romanus Pontifex solemni ritu templum ingreditur, totus clerus per os canentium festive enunciat, & corde, & ore: *Tu es Petrus?*

Quo hæc tendant, unusquisque expedite percipiet, considerando, hoc unum a Patribus intendi, nempe perpetua successione vigere in Pontifice Romano plenitudinem privilegii a Christo Petro collatam, & in unoquoque vivere Petrum, ac regere per eamdem infallibilis judicii auctoritatem, qua ipsum Petrum in terris pollere, declaratum est. Hinc quum (2) Patres vel Cathedram

(1) Conc. t. 3. in act. Ephæs.
(2) Cypr. & Optat. Mil. de Unit. Eccl.

dram Petri, (1) originem unitatis appellant; vel sedem Apostolicam, vel Ecclesiam (2) Romanam Matrem, (3) & Matricem, potentiorisque principalitatis radicem, ac fontem dicunt, non nisi per Pontificis Romani derivationem, ac si Petrus præsideret, accipiunt.

Et sane cur omnes Patres, & Concilia laudarent, ac cogerent ad Pontificem Romanum omnes causas ad fidem, vel ad mores spectantes referre, nisi certum expectarent judicium, & infallibilis ponderis sententiam? (4) Quamobrem Carolus Calvus licet exasperatus scripserit ad Hadrianum II. attamen pro veritate compulsus dixit: *Quia quod ex Apostolicæ sedis nomine secundum sanctarum scripturarum tramitem, prædicationemque majorum, & orthodoxorum decreta scribitur, sequendum, & tenendum non ignoramus, & quod secus a quoquam fuerit compilatum sive confictum, non solum respuendum, sed & redarguendum esse cognoscimus.*

§. IV.

(1) Irenæ. adv. hær. l.3.c.3.
(2) Innoc. I. ad PP. Affric.
(3) S. Leo M. ep. 77. ad Episc. Vienn.
(4) Epist. 41. inter op. Hincmari Remen in fin.

§. IV.

Ex oraculo Christi Petro dicentis : Pasce oves meas, *infallibilitas Pontificia evincitur.*

POst resurrectionis triumphum frequenter Christus dignatus est Apostolos suos convenire, ut præsentia sua eorum animos demulceret, & sua doctrina cælesti imbueret. Ad lacum igitur stantibus illis retia ducentibus, astitit Divinus Magister, & prandio completo cœpit Petrum semel, & iterum interrogare, dicens; *diligis me plus his?* & respondente Petro*: Tu scis quia amo te* : reposuit Chistus*: Pasce agnos meos; Pasce oves meas*; ut legitur Jo: 21. Pascere agnos, pascere oves, non est aliud, quam omnibus omnino Christiano nomine insignitis præsidere, docendo, & instruendo, Magisterio, & doctrina.

Discimus singula a SS. Patribus. Ambrosius in hæc verba se explicat : (1) *Quis enim alius, qui de se hoc facile profiteri possit? & ideo quia solus (Petrus) profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Chrysostomus in c. 21. Jo: (2) *Si quis percontaretur, quomodo Jacobus sedem Hierosolymis acceperit?* B 2 *respon-*

(1) l. 10. in c. 24. Luc.
(2) Hom. 87.

Responderem hunc (Petrum) totius orbis magistrum præposuisse.

S. Gregorius M. ep. 20. l. 5. (1) *Cunctis enim Evangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oves meas.... Cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur.*

Theophylactus in c. 21. Jo: *Quum prandii finem ipse fecisset, totius orbis ovium præfecturam Petro committit, non autem alii, sed huic tradidit... Te enim duco, ut præsis orbi, & sequaris me.*

S. Bernardus de consid. l. 2. c. 8. *Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute, & indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas Petre, Pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi Regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non dessignasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

S. Eucherius Lugdun. Episcopus, sive Eusebius Gallus Hom. in Vig. S. Petri, (2) *dicit ei (Jesus) Pasce oves meas. Prius agnos, deinde oves commisit ei, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem eum constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit,*

(1) Ad Maurit. Imp.
(2) In Bibl. PP. Tom. 6.

scit, & oves; pascit filios, pascit & matres: regit subditos, regit & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est.

Tandem S. Juo Carnotensis Episcopus serm. in Cathedra S. Petri ait: *Provida Dei dispensatione ecclesiarum excubiis deputatus est Petrus generali sanctione... Quem ovibus suis Deus pastorem præfecerat generalem... Nec poteris habere proprium, quem sancta Ecclesia in commune suscepit ministerium.*

Mitto alios, quum ex Patribus allatis abunde constet, qualis, & quanta fuerit amplitudo potestatis a Christo collatæ Petro, de quo S. Joannes Damascenus prædicat: (1) *Qui Ecclesiæ curam suscepturus erat, illud, inquam, columen Ecclesiarum, ille fidei portus, ille orbis terrarum Magister Petrus.* Porro reliquum est, ut eamdem prærogativam ad successores commeasse videamus.

Agmen ducat S. Innoc. I. rescribens ad Patres Concilii Milevitani. (2) *Diligenter ergo*, ait, *& congrue Apostolici consulitis honoris arcanis. Honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum.*

S. Cælestinus ad Episcopos per Illyricum

 (1)

(1) Hom. in S. Paral. t. 2. tit. 3. de Confess. & pœnit.

(2) Conc. t. 2.

(1) *Nosq. præcipue circa omnes cura constringimur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in S. Petro Apostolo indulsit.* & ad Episc. Concil. Ephesini. (2) *Longius quidem sumus positi sed per solicitudinem totum propius intuemur. Omnes habet Beati Petri Apostoli cura præsentes.*

S. Leo M. epist. 5. (3) *Et quia per omnes ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis domino, qui Apostolicæ dignitatis Beatissimo Apostolo Petro Primatum fidei suæ commisit.*

S. Felix III. ep. ad Acacium episcopum Constantinopolitanum: (4) *In diversas generalis Ecclesiæ curas, quas ubique terrarum cunctis populis Christianis, summi Pastoris vicedelegante, Beatissimus Petrus Apostolus pervigili moderatione dispensat, continuo me solicitudo maxima, quæ & Prædecessorem meum incessanter urgebat, tam Alexandrinæ Urbis, quam status fidei totius orientalis regionis excepit.*

S. Gelasius ad Episc. Dardan. & Illyrici. (5) *Quoniam pro sedis Apostolicæ Principatu, cujus solicitudo delegata divinitus, cunctis debetur Ecclesiis, nos vivimus, si vos sta-*

(1) In Col. Holsten.
(2) Concil. t. 2.
(3) Ad Episc. per Illyricum const.
(4) Concil. t. 4.
(5) Concil. t. 4.

ſtatis in domino, magnis gaudiis triumphamus.

S. Symmachus Epiſt. ſive Apol. ad Anaſtaſium Imper. (1) *Catbolici Principes quidem ſemper Apoſtolicos Præſules inſtitutos ſuis litteris prævenerunt, & illam confeſſionem, fidemque præcipuam, tamquam boni filii quæſiverunt debitæ pietatis affectu, cui noſcis ipſius domini Salvatoris ore curam totius Eccleſiæ delegatam.*

S. Gregorius M. epiſt. 13. l. 5. *Quoniam Fuſcus Capuanæ Eccleſiæ Epiſcopus, in Romana civitate poſitus, de bac luce migravit, curæ nobis fuit, quæ univerſis Eccleſiis a nobis impenditur, ad fraternitatem tuam præſentia ſcripta dirigere.*

Acacius Conſtantinopol. epiſt. ad Simplicium PP. (2) *Solicitudinem omnium Eccleſiarum ſecundum Apoſtolum circumferentes, vos indeſinenter bortamini, quamvis ſponte vigilantes, & præcaventes.*

S. Avitus Viennenſis Epiſcopus (3) *Dum religionis ſtatui & plenis Catbolicæ Fidei regulis perſpicitis convenire, ut gregem per tota vobis Univerſalis Eccleſiæ membra commiſſum pervigil cura veſtræ adbortationis informet.*

B 4 Adeo

(1) Concil. t. 5.
(2) Concil. t. 4.
(3) inter op. Sirm. t. 2. Epiſt. 87. ad Hormiſd. PP.

Adeo jucundum est hæc referre, ut nullo labore pergeret in infinitum calamus, nisi torquere lectorum animum pertimesceret. Satis sit. Ex hucusque dictis tria discimus. I. Pascere, præceptum Petro & successoribus a Christo, omnes, & singulos comprehendere, sive Pastores, sive agnos, nempe quoscumque fideles per totum qua late patet orbem dispersos sub suprema cura Romani Pontificis. *Non est parvipendendum quod & Deum habet auctorem, & de Cælo ducit originem*: (1) ait ad rem nostram Bernardus. II. Pascere Universalem Ecclesiam principaliter explicat doctoris & magistri munus ad informandum populos, maxime veritate doctrinæ & morum sanctitate, quod utique præstatur, & continuo præstitum est, tum hæreses extirpando, tum prava morum semina eradicando. Egregie idem Bernardus alloquens Eugenium (2) III. *Interest, inquit, proinde tuam dare operam, quam possis, ut increduli convertantur ad fidem, conversi non avertantur, aversi revertantur: porro perversi ordinentur ad rectitudinem, subversi ad veritatem revocentur.*

Tandem tertio discimus, omnes teneri ad obediendum Romano Pontifici, maxime in his, quæ ad fidei, morumque regulam ex-

(1) l. 3. de consid. c. 4.
(2) l. cit. c. 1.

expediens duxerit sancire, quod auctoritate Patrum statim ostendam.

Tertullianus de praescript. c. 36. *Habes Romam, unde auctoritas nobis quoque praesto est*. Utique auctoritas Romani Pontificis, cui refragari nemo potest impune, alias auctoritas non esset.

Hieronymus ep. 57. ad Damasum scribens ait. *Quicumque tecum non colligit, dispergit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est*.

S. Nicolaus I. in Romana Synodo. *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro ecclesiastica disciplina a sedis Apostolicae Praesule salubriter promulgata contempserit, anathema sit*.

S. Ivo Carnotensis ep. 8. (1) *Contra Apostolicam sedem caput erigit, dum quod illa aedificat, vos, in quantum vobis est, destruitis, & quod illa destruxit, vos aedificare contenditis, cujus judiciis, & constitutionibus obviare, est haereticae pravitatis notam incurrere, cum scriptura dicat: haereticum esse constat, qui Romanae Ecclesiae non concordat*.

Hugo Etherianus de process. Spiritus S. l.3. c.10. (2) *Qui autem primae Sedis, immo totius orbis Praesuli resistunt, Christi dispositio-*

(1) Ad Richer. Senonen. Archiep.
(2) In Bibl. PP.

sitioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ judicio plectentur.

Innocentius III. epist. (1) *Superius relata: Innuens (Jesus) quod successores illius (nempe Petri) a Fide Catholica nunquam deviarent ... per hoc sic confirmandi alios potestatem indulgens, ut aliis necessitatem imponeret obsequendi.*

B. Thomas apertissime docet. (2) *Subesse, & obedire Papæ est de necessitate salutis.*

Episcopi Gallicani ad Innocentium X. datis litteris occasione damnatæ hæresis Jansenianæ an. 1653. inquiunt: *Perspectum enim habebat (Zosimus PP.) non solum ex Christi pollicitatione, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anathematismis adversus Apollinarem, & Macedonium, nondum ab ulla Oecumenica Synodo damnatos, a Damaso paulo ante jactis, judicia pro sanciendа Regula fidei a Summis Pontificibus lata, divina æque, ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio, ipsius etiam mentis obsequium præstare teneantur.*

Itaque ex dictis patet, quam absurdum foret dubitare de infallibilitate Papæ ex Cathedra docentis, quando ex divina institu-

tio-

(1) Sup. 2.
(2) Opusc. 1. cont. error. Græc. & de regim. Princip. l. 1. c. 14.

tione illi incumbit pascere omnes, tam Pastores, quam Greges, tam Episcopos, quam Populos totius mundi; istisque omnibus onus, & debitum obediendi impendet. Si falli, & fallere posset Romanus Pontifex, nonne hac lege universa ecclesia, hac obediendi necessitate posita, deficere cogeretur? Nonne bono universalis Ecclesiæ improvide, ut dici solet, consultum fuisset? (1) *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* Inquit Christus. *Qui erunt homines, per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum?* (2) explicat D. Augustinus.

Instaurat hoc palmare argumentum S. Gelasius PP. scribens ad Anastasium Imper. in hæc verba: (3) *Hoc est, quod Sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione macidetur. Nam si (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? Vel unde correctionem errantibus posceremus? Proinde si pietas tua unius civitatis populum negat posse pace componi, quid nos de totius orbis terrarum sumus universitate facturi, si*

(quod

(1) Matth.
(2) l. 1. de Serm. c. 6.
(3) Concil. t. 4. epist. 8.

(*quod absit*) *nostra fuerit prævaricatione deceptus?*

Prorsus ignarus, vel plane hospes in historia Ecclesiastica esset, quisquis hæc non probaret. Nonne Ecclesia Orientalis tota pene defecit, deficiente Photio? Nonne iterum defecit, quum Schisma luctuosum a Michaele Cerulario itidem Patriarcha Constantinopolitano conflatum est, vel instauratum? Quid autem metuendum non esset in Ecclesia Occidentali, si fallibilem admitteremus Pontificem Romanum? Hinc S. Thomas in Matth. c. 16. optime advertit: *Et quamvis aliæ Ecclesiæ vituperari possunt per hæreticos, Ecclesia Romana non fuit hæreticis depravata, quia supra petram erat ædificata. Unde in Constantinopoli fuerunt hæretici, & labor Apostolorum amissus erat, sola Petri ecclesia inviolata permansit. Unde Lucæ 22. Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua: & hoc non solum refertur ad Ecclesiam Petri, sed ad fidem Petri, & ad totam occidentalem Ecclesiam*. Quia scilicet tota occidentalis Ecclesia, & præcipue Romana indefectibili Petri, ejusque successorum regitur magisterio, & infallibili imbuitur doctrina; ut, collata doctrina S. Thomæ cum art. x. q. 1.2.2. liquido fit planum.

Ex traditione igitur ecclesiastica infallibilitas Romani Pontificis, etiam ex oracu-

lo

lo Christi committentis Petro Pastoris Universalis munus; & ad successores hinc derivatum, in tuto est. Eapropter rectissime illam professus est S. Theodorus Studita, Ecclesiæ orientalis lumen ad Paschalem PP. scribens: (1) *Re ipsa cognovimus manifestum Apostolorum Principis Successorem Romanæ Ecclesiæ præsidere... Vos igitur illimis, ac sincerus ab initio fons orthodoxæ veritatis. Vos adversus omnem hæreticam procellam tranquillus sepositus portus Ecclesiæ Universæ*: S. Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus scriptis suis exorabat Leonem III. (2) *ut precibus, vestraque suffulti doctrina, in hac fide stabiles, simplices, & ab omni defectu immunes persistamus... intraque ecclesiasticæ caulæ septa (nostrum gregem) constitutum, manifesta divinæ illius, & Apostolicæ spiritualis doctrinæ fistulæ ebucinatione, vocibusque divinitus inspiratis in unum congregemus, & ab insidiantium ferarum morsibus conservemus*. Pari mentis, & oris obsequio, ac veneratione in ecclesia occidentali Episcopi Hispan. ad Hilarum PP. scribentes contestati sunt. (3) *Proinde Deum in vobis penitus adorantes, ad fidem recurrimus Apostolico ore laudatam, inde responsum quærentes, unde nihil errore,*

(1) Baron. ad An. 818.
(2) Concil. tom. 7.
(3) Ex Concil. Tarracon.

re, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præcipitur. Et hæc testimonia vera sunt, neque interpretatione indigent.

§. V.

Ratione probatur assumptum.

Ecclesia Catholica est cœtus omnium fidelium in una fide, & uno baptismo, juxta illud *Unus Deus, una fides, unum baptisma*. Hæc autem Ecclesia una quoque debet esse, quum perfectio numeri sit, ad unum cæteros reducere, ut egregie explicat P. Bernardus. (1) *Ubi unitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed divisionem, recedentes ab unitate*. Igitur in Ecclesia ad Unum necesse est ejus Unitatem deducere, quod proinde omnium sit caput. Quemadmodum enim corpus in plura membra distributum naturali ordine sub uno capite vivit, & regitur: Quemadmodum Ecclesia triumphans in Cælis miro ordine sub uno capite Deo degit: Ita quoque Ecclesia militans sub uno capite visibili conveniat, & regatur oportet. Quæ omnia luculenter a S. Cypriano expenduntur in hæc verba: (2) *Quomodo Solis multi radii, sed lumen unum, & rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum: & quum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numero-*

(1) l. de consid. c. 8.
(2) l. de Unit. Eccl.

merositas licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, Unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis Unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte præcinde rivum, præcisus arescet. Sic & Ecclesia domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit; profluentes largiter rivos latius expandit: Unum tamen Caput est, & origo una, & una Mater fæcunditatis successibus copiosa. Et alibi in eodem lib. de unit. Eccl *dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magistri Cælestis doctrina servatur ... Loquitur Dominus ad Petrum: ego dico tibi, inquit, Tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam... & iterum eidem post Resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam, & illi pascendas mandat oves suas... Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.*

Rursus D. Bernardus ait:(1) *Petre pasce oves meas ... & forte præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, & uno Pa-*

(1) De Consid. l. 2. c. 8.

Pastore, *secundum illud*: *Una est Columba mea*, (1) *formosa mea*, *perfecta mea*. *Ubi unitas*, *ibi perfectio*.

Igitur unus Deus, una Fides, unum Baptisma, una Ecclesia sub uno Pastore, dicente D. Bernardo: (2) *Viderat hoc qui dicebat*: *Vidi Civitatem Sanctam Jerusalem*, *novam descendentem de Cælo*, *a Deo paratam*. *Ego enim propter similitudinem dictum reor*, *quod sicut illic Seraphim*, *& Cherubim*, *ac cæteri quique usque ad Angelos*, *& Archangelos*, *ordinantur sub uno capite Deo*, *ita hic quoque sub uno summo Pontifice Primates*, *vel Patriarchæ*, *Archiepiscopi*, *Episcopi*, *Presbyteri*, *vel Abbates*, *& reliqui in hunc modum*. Concinit D. Augustinus: (3) *Hoc est vere formari*, *in unum aliquid redigi*. Porro si ad unum Pastorem, si ad unum Summum Pontificem Unitas Ecclesiæ redigenda est, quomodo hæc Ecclesia, quæ incorrupta est, servabitur ab ingruentibus hostium erroribus, & pernicie, nisi summus Pontifex, juxta promissa Petro data a Christo per specialem assistentiamSpiritus sancti, docens ex Cathedra infallibilitatis potiatur privilegio? Quomodo Pastor omnium, doctor, & Magister Universalis, cui universi subditi obedientiam debent, & fidei obsequium,

(1) Cant. 6.
(2) l. 3. de consid. c. 4.
(3) de Gen. imperf. c. 10.

quium, regere, docere, & pascere poterit, quin decipiatur in regula, nisi ipse firmitatem fidei teneat, in docendo, & fallere, aut falli nesciat, in doctrina tradenda? Quomodo ex suo munere confirmabit cæteros in fide, ex divino Christi præcepto, nisi ipse indeviabilis sit judicii?

Plane concidat, necesse est, tota Unitas, tota firmitas Ecclesiæ, si alia statuuntur principia. Regitur quidem Ecclesia a supremo Pastore Christo, qui perpetuo pollicitus est in sua adesse Ecclesia, & Spiritum Sanctum se daturum, omnia suggerentem, & docentem. Verum dispofuit quoque, ut vice sua gereret Petrus munus commissum visibilis capitis, & Pastoris, ut citra miraculum cælestia inter homines tractanda modo humano ducerentur. Ecquis dicet suaviori methodo provideri potuisse, quam res ita disponendo, ut caput, & Pastor omnium infallibilis servetur, & doctrinæ ejus indefectibilis pabulo tota Ecclesia enutrita, infallibili quoque robore firmata unanimi obedientiæ consensione pascatur?

Quot hæreses fuerunt, scindentes Christi vestem inconsutilem, hoc est ejus Ecclesiam? Nonne primo impii auctores conati sunt Pontificem Romanum spernere, rati quod avulso capite, tota membrorum compago dissolvatur, oporteat? D. Augustinus exprobrans Juliano Pelagiano sui criminis,

C hære-

hæreſeoſque vitium, ſic illum coarguit. (1) *Puto eam tibi partem orbis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum voluit dominus glorioſiſſimo martyrio coronare; Eccleſiæ præſidentem Beatum Innocentium ſi audire voluiſſes, jam tunc periculoſam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuiſſes.*

Ut Experimento comprobatum eſt, neque Lutherum, neque Calvinum, ut ſileam de antiquioribus hæreſiarchis, contumaciæ accerſere potuiſſemus, dum Leoni dum Clementi, ex Cathedra perſtrepentibus obſurdeſcere ſimularunt, ſi culpam ſuam amoliri a ſe intentaſſent, exprobrando Pontificibus Romanis fallibilitatem ſententiæ contra ſuos errores latæ. Julianus quoque reſpondere potuiſſet Auguſtino, cur me diſcipulum Beati Innocentii fuiſſe exoptas; ſi de rebus Pelagianis fallibile proferre potuit judicium? Itaque fruſtra damnarentur hæretici a Romano Pontifice, incaſſum proſcriberentur errores, & dum expectatur adunatio Concilii Generalis ſemper valde difficilis, vix imago Religionis in populis conſpiceretur. E contra admiſſa infallibilitate Judicii in Romano Pontifice, bono fidei certiſſime proſpicitur, errori ſtatim occurritur, tam vacillantes confirmando, quam incredulos codibendo, & Eccleſiam ipſam validiorem reddendo, ut victrix a tam tru-

cu-

(1) Cont. Jul. l. 1. c. 4.

culenta peste emergat. Hac providentia credimus constitutam Ecclesiam perpetuo contra portas inferi prævalituram.

§. VI.

Effugia adversariorum exsufflantur.

PRimum effugium est, traditionem traditioni opponere. Afferunt siquidèm Augustinum docentem: (1) *Gestat Petrus Ecclesiæ plerumque personam*. Itaque quum narrantur Christi domini promissiones Petro factæ, intelligi plane potest juxta Augustinum, aliosque Patres, tunc Petrum in persona Ecclesiæ eas accepisse, nihilque peculiaris privilegii fuisse Petro donatum, præter id quod a tota Ecclesia eidem confertur. Porro quum infallibilitas judicii ab Ecclesia ex divina institutione dependeat, perperam absque illa quis conatur Petro, ejusque successoribus quid aliud adscribere.

Non me latet Augustinum utraque interpretatione usum fuisse, nempe quandoque explicando Petrum in persona propria, quandoque in persona Ecclesiæ. Utramque in sua probabilitate relinquendo; ut ipse declarat lib. 1. Retract. c. 21. dicens: *Harum autem duarum sententiarum, quæ sit pro-*

(1) Serm. 22. de diverſ. c. 9.

probabilior, eligat lector. Constans igitur est traditio, quod in Petro proprie ædificata sit Ecclesia, etiam fatente Augustino loc. cit. dicente: (1) *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo, tanquam in petra fundata sit Ecclesia; qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc, ipsa petra Ecclesiæ, canente, culpam diluit*.

Quæ omnia plane indicant, unam interpretationem, aliam non evertere, sed simul optime absque ulla repugnantia cohærere. Exemplo ex eodem Augustino desumpto id confirmo. (2) S. Doctor expendens illud (3) Matth. c. 14. ubi narratur, Petrum jussum a Christo super aquas ambulasse, mox trepidantem mergi cœpisse docet, Petrum gessisse personam Ecclesiæ, in qua firmi in fide tuto ambulant, & veniunt ad Jesum; infirmi vero, qui trepidant ad omnem flatum, persæpe merguntur, nisi exoratus dominus accurrat, clamando: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Est ne dicendum, quod hæc Augustini interpretatio, figurata, & Moralis, aliam literalem, & historicam pene dejiciat? Si ita est, actum est de toto sensu literali Novi, & Veteris Testamenti, quod est absurdum. Placuit Patri-

(1) Retract. l. 1. c. 21.
(2) De Cataclism. c. 3.
(3) Serm. cit. de divers.

tribus utrumque sensum admittere, & literalem, & Moralem, seu Mysticum, quin, nisi temere arguantur, & pugnantia dixisse cogitentur. Idcirco & si plures Sancti Patres interpretati sint, Petrum, ut gerentem personam Ecclesiæ pluribus privilegiis a Christo fuisse donatum; non renuunt tamen primo ad literam ipsum Petrum dicere in propria persona illa accepisse; immo ex his evincitur, non nisi per Petrum, & in Petro eadem Privilegia fuisse a Christo communicata Ecclesiæ. Notum quippe esse debet, quod in factis historicis, ad differentiam factorum Propheticorum, prior, & potior sensus est ille, qui literalis dicitur, cui proinde verior interpretatio cohæret. Et hæc pro nunc sufficiant ad primam objectionem.

Alteram traditionem superinducunt adversarii, dicendo a pluribus Patribus Pontificium Petri vocari nunc Cathedram, nunc Apostolicam Sedem, nunc Ecclesiam Romanam, nunc totam indiscriminatim Ecclesiam. Hocce modo loquendi usi sunt etiam ipsi Pontifices Romani, parce admodum nominando Petrum, sive se ipsos. Quod argumento est, dicunt adversarii, non fuisse a Christo data illa privilegia, in quibus numeratur infallibilitas, vel ipsi Petro, vel saltem successoribus, in propria persona; sed concessa intelligi debent Ca-

thedræ, Sedi, Ecclesiæ Universali, vel saltem Ecclesiæ speciali Romanæ.

Hoc adversariorum sophisma, Achilles est pugnantium contra Pontificiam auctoritatem, & infallibilitatem; unde collato pede, dimicandum est. Velim prorsus edoceri, quid ista verba *Cathedra*, *Sedes*, *Ecclesia Romana*, significent? Aut saltem qui sit apud Adversarios illorum sensus? Siquidem illa continuo proferre audio, explicare nunquam adamussim. Dicunt aliqui *Cathedram*, *Sedem*, *& Ecclesiam Universalem* esse verba synonima, adeoque huic collata immediate fuisse a Christo Privilegia Petro dicta, vel commissa. Alii dicunt esse ipsam Ecclesiam specialem Romanam, quam proinde celebrant, ut matrem, radicem, & originem cæterarum ecclesiarum, neque repugnant huic Ecclesiæ privilegium infallibilitatis concedere. Sed utraque opinio abhorret a vero, in sensu scilicet primario, & literali, in quo præfata verba sumenda sunt.

Omissa gramaticali Cathedræ, sive Sedis nuncupatione, quæ ad rem nihil attinet, advoco D. Augustinum, & D. Thomam, ut totum negotium perspicue exolvant. D. Augustinus ita loquitur: (1) *Christus docet, Cathedram in Cælo habet, schola ipsius in terra est*. Et D. Thomas super illud

Mat-

(1) De Doctr. Christ. c. 4.

Matth. (1) *super Cathedram Moysi sederunt*, ait: per Cathedram significari authoritatem, sive dignitatem, vel Magisterium a Moyse per successionem in alios derivatum. (2) Et alibi explicat nomen Cathedræ per eminentiam potestatis Judiciariæ super alios. Cathedra igitur eminentiam potestatis, sive muneris, locum ubi exercetur, nominat. Quapropter sicut Christus sedens in Cælis ad dexteram Patris omnia judicat, & docet in terris: Ita Pontifex Romanus sedens Romæ, sive exercite, sive signate, super omnes orbis populos potestatem sui muneris exerit.

Hæc eminentia potestatis primo inest Pontificiæ dignitati: II. inhæret personæ ad illam rite electæ: III. veluti per Sinecdochen Sedi, vel Ecclesiæ speciali Romanæ conjungitur: VI. ex consequenti extensive, & per effectum, etiam ipsi Ecclesiæ Universali insidet. Discrimen tamen est, quod quum Ecclesia specialis Romana immediatius sit propria Pontificis Romani, eique propius inserviat in rebus difficilioribus, per studium Theologorum, ac Doctorum in decretis, & per Consilium Prælatorum, ac Cardinalium, hinc est, quod ipsa Ecclesia Romana celebris dicatur privilegio Petri, in Petro insignita, & iisdem commendetur en-

(1) In Matth. c. 23.
(2) Quodl. 3. art. 9.

comiis, quibus ipsa Cathedra, vel Sedes Apostolica laudatur.

Dicimus igitur: (non est parcendum calamo, quia hoc est totius difficultatis caput) (1) Pontificium, quod explicatur nomine Cathedræ, vel Sedis, primo inhæret Pontifici Romano successori Petri, nam sicut ab exordio sedit Antiochiæ, ibique privilegiis a Christo donatus potiebatur, cum sua Ecclesia, ac sede Antiochena, modò, & ordine superius delibato; ita translata ab ipso Petro sua Sede Romam, ubi credimus in sæcula mansuram, Romæ quoque per Petrum, ejusque successores, eadem privilegia permanent. Quod si dicantur concessa Sedi, vel Ecclesiæ, non aliter intelligendum est, quam in Petro, & per Petrum. Ita expresse docet S. Nicolaus I. (2) *Ecclesiæ, inquit, Romanæ privilegia, Christi ore in Petro firmata, in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata, & a Sanctis Synodis Universalibus celebrata, atque a cuncta Ecclesia jugiter venerata, nullatenus infringi, nullatenus commutari ..... Privilegia, inquam, hujus Sedis, vel Ecclesiæ perpetua sunt.* Dicuntur quippe Privilegia Sedis, vel a Ecclesiæ Romanæ, quia B. Petro Sedi, & Ecclesiæ Romanæ ita sunt communica-

ta,

(1) Anton. Hotman. de Droit. Eccl.l. 1.int.op. Libert. Eccl. pag. 313.

(2) Ad Michael. Imp. epist. 8.

ta, ut successor Petri in eadem Sede, & Ecclesia iisdem plene fruatur, ac si Petrus ipse frueretur, si adhuc inter vivos esset. Idcirco perpetua dicuntur, quia perpetua successione transferuntur ab uno ad alterum Pontificem ad illam Sedem electum.

Et quod ita res se habeat perspicuum reddam. Demus per hypothesim quod docente Spiritu Sancto, aliquis Romanus Pontifex transferret ad aliam Urbem Episcopatum suum, uti factum est a Petro. Tunc Pontificii privilegia essent ne, vel dici possent privilegia Ecclesiæ Romanæ? Nemo certe affirmabit; alias nunc cogeretur nominare hæc privilegia, ut Ecclesiæ Antiochenæ privilegia, neutiquam Ecclesiæ Romanæ, attenta prima institutione ibi facta a Petro. Ergo si translata Sede, transferuntur privilegia, cogimur inferre, ipsi Pontifici suam Sedem transferenti, tum ipsa privilegia inhærere. Cohæret Joannes Gersonius de potest. Ecclesiæ consid. 7. dicens: *Quod Ecclesia Romana est illa diœcesis, provincia, vel sedes, quæ peculiariter habet regi per auctoritatem Papalem, & eam complectitur; sic veritatem habet vulgaris vox: Ubi Papa, ibi Roma: nec in dubium verti debet, quin isto modo Romana Sedes, & Ecclesia sit caput, Mater, & Magistra cæterarum, quia supremã Petri potestatem includit.*

Audio quendam dicere: si hæc privilegia Papæ

Papæ insiderent, defuncto Papa perirent, & perpetuitate carerent. Sedi ergo vel Ecclesiæ conjungi debent, ut ab illis creatus novus Pontifex mutuetur usum, & ministerium. Sed hoc est in absurda incidere. Petrus transferendo suam Sedem Antiochia Romam, quid transtulit? Forsan Ecclesiam Antiochenam? Non utique; quia fideles Antiochiæ substiterunt. Neque transtulit Episcopatum Antiochenum, quia Romæ Petrus novum fundavit Episcopatum, novam Sedem instituit. Quid ergo transtulit? Transtulit personam Petri, cui Pontificium inhærebat ex Christi institutione, simulque cum Pontificio ei inhærebat eminentia, immo supereminentia potestatis, & Magisterii, quæ per Cathedram, & Sedem nominatur. Non igitur a Sede, non a Cathedra, non ab Ecclesia mutuatur in successoribus Petrus sua privilegia, sed ipse Petrus, & ipsi Successores non privilegia, sed honorem ab hujusmodi privilegiis dimanantem, & Cathedræ, & Sedi, & Ecclesiæ Romanæ impertiti sunt.

Hinc ad objecta in principio excitata respondeo: Pontifices Romanos consuescere suam auctoritatem exprimere, nunc per Sedem, antonomastice Apostolicam, in honorem fundatoris Petri Principis Apostolorum; nunc per Cathedram Petri, ob eandem rationem, nunc per Ecclesiam Romanam,

nam, tanquam per locum, in quo eadem auctoritas insidet, & exercetur, omnibus prospiciendo, & consulendo. Cæterum nihil prorsus in auctoritate distinguitur per diversa illa nomina, quæ sunt in usu. Ita etiam quum legitur in diplomatibus Pontificiis, *Nostra, & Apostolicæ Sedis auctoritate, & de Plenitudine potestatis*, nihil intelligitur in potestate Pontificia immutatum, auctum, vel imminutum, quia non aliud illa verba important, quam emphasim, & energiam ad ostendendam firmitatem deliberationis, & animi. Legimus in Genesi: (1) *Per me metipsum juravi: dicit Dominus*. Et in libro Judith *Per thronum, & Regnum* juravit Nabuchodonosor. Quæ repetitio licet unum, & idem significet, attamen apposite adhibetur ex emphasi, & energia sermonis, ut urgentius constet de efficacia propositi. Ita quoties legimus repetitam auctoritatem Papæ, vel sub nomine Cathedræ, vel sub nomine Sedis Apostolicæ, vel sub nomine Ecclesiæ Romanæ, cujus Præses in omnibus est Papa, non aliud intelligi debet, quam ipse Pontifex Romanus, ejusque auctoritas, quæ audit, & judicat finali, & indefectibili sententia. Sunt ergo *Privilegia Sedis Apostolicæ* (idest Papæ) *perpetua*, inter quæ procul dubio annumerare debemus infallibilitatem judicii, *divi-*

(1) Gen. c. 23.

divinitus radicata, atque plantata: impingi possunt, transferri non possunt: trahi possunt, evelli non possunt; inquit Sanctus Nicolaus I. Epist. cit.

§. VII.

Exploditur opinio asserentium requiri ad infallibilitatem judicii Pontificis Romani consensum Universalis Ecclesiæ, vel Ecclesiæ specialis Romanæ.

Ut mendacio antiquitatis, opinioni suæ adversarii speciem veri affingerent, sanctum Leonem magnum obtrudunt, tanquam assertorem necessitatis consensus ecclesiæ, ut definitio ex Cathedra Romani Pontificis infallibilitatis sortiatur effectum. Mirum sane, quod doctrina tot retro sæculis incognita, & dissidiis inter regnum, & Sacerdotium concepta, inter schismata oborta, inter errores enutrita, toties dissidiorum, & schismatum arte ad juventam revocata tandem sentiatur senectam ducere ab auctoritate Sancti Leonis; quam nullus antiquus Pater, vel doctor interpretatus est, vel vindicavit, ut adversariis placet. Audiamus itaque Magnum Leonem rugientem quidem, ut par est, pro auctoritate Petri, & suæ olim sedis, sed non contra illam.

Post

Post celebrationem Concilii Chalcedonensis scripsit Leo Magnus gratulatorias literas ad Marcianum Augustum (1) de Ecclesia benemeritum propter operam navatam in favorem fidei in eadem synodo: Et se explicat in hæc verba. *Nam quum vestro præcipue opere sit effectum, ut per synodale Concilium, damnatis impii dogmatis defensoribus, omnes vires sacrilegus error amitteret, ad ejusdem devotionis pertinet palmam, si malum quod in suis ducibus est oppressum, etiam in quibuscunque reliquiis deleatur. Quod facilius Clementia vestra arbitretur implendum, si per universas ecclesias definitiones sanctæ synodi Chalcedonensis, Apostolicæ sedi placuisse doceantur. De quo quidem ratio non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium subscribendo consensus accesserit, quæ ad me, secundum formam Apostolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emissa est, & per fratrem meum Lucianum Episcopum talia, & ad gloriam vestram, & ad Constantinopolitanum antistitem scripta direxerim, quæ evidenter ostenderent, me ea, quæ de fide Catholica in prædicta synodo definita fuerant, approbare.*

Rursus idem Leo Magnus (2) scripsit ad Theodoritum Cyri Episcopum in idem argumentum hisce verbis. *Unde gloriamur* in

(1) Epist. 59.
(2) Epist. 63.

in domino ... qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permisit: Sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum, totius Christiani orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent.

Tria discimus ex mente S. Leonis. Primo ipsum Pontificem transmisisse per suos legatos epistolam dogmaticam, in qua regula fidei fuerat exarata, ut Patres Concilii juxta illam exponerent doctrinam fidei contra obortos Eutychetis errores. Secundo discimus Concilium omnia explevisse ad normam Leoninæ definitionis, conclamando: *Sicut credit Leo, ita & nos credimus:* quod est assentire irretractabiliter, alias non fuisset assensus fidei. Tertio discimus, omnia acta Conciliaria remissa fuisse ad ipsum Leonem, *secundum formam* Apostolicæ doctrinæ, quibus postremam auctoritatis suæ manum apposuit. Ita enim ad Augustum in cit. epistola declarat: *Quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adjeci sententiam meam.*

Quid emungant osores Pontificiæ infallibilitatis ex verbis Leonis, non percipio: Quia assensus a Concilio præstitus, adhuc subjiciebatur finali sententiæ ipsius Leonis: ergo

ergo ad hanc, non ad illud spectat infallibilitatem præstare. Quod si dictus est assensus irretractabilis: relate ad ipsum Concilium ita se habet, quia se ita credere declaravit; neutiquam relate ad auctoritatem Leonis, qui sua postrema approbatione irretractabilis definitionis fecit dogma decretum.

Si autem quis quærat: Cur Leo suam definitionem subm iserit Concilio, si plena gaudebat infallibilitate? Plana pro nunc est responsio, quia suaviter trahere cupiebat ecclesiam orientalem in veritatem fidei, & damnationem hæreticorum, adeoque voluit, ut ipsum Concilium tanquam a se prodeuntem emitteret sententiam, cogereturque in agmen validum ad retundendam hæreticæ pravitatis pervicaciam: ut ipse M. Leo in mox cit. epist. diserte se explicat.

§. VIII.

Quot absurda consequantur, semel admissa necessitate consensus Ecclesiæ ad infallibilitatem definitionis Pontificiæ ex Cathedra.

NECESSARIUS est consensus Ecclesiæ, ut decreta Pontificis Romani ad fidem pertineant, inquiunt adversarii. Sed qualis, ac quantus esse debeat, nemo ada-

adamussim explicat. Hæc est res maximi momenti, quum agatur de fide, ideoque palam, & aperte dicendus est sensus quæstionis. Sit igitur hypothesis. Editur Bulla dogmatica a Papa. Peto an exigatur consensus totius ecclesiæ ut sit de fide habenda? Et quidem explicite, an hujusmodi consensus debeat ab omnibus Christi fidelibus præstari, quorum congregatio ecclesia tota est: An a solis Episcopis, qui Ecclesiam repræsentant: An vero a majori parte Episcoporum: An a solis Episcopis unius Provinciæ?

Respondent aliqui, tunc evadere Constitutionem dogmaticam infallibilis judicii, quando accedit consensus Ecclesiæ, quin velint clariorem reddere sui dicti explicationem. Hæc indefinita responsio gestit expetere vel omnium fidelium, vel saltem omnium episcoporum consensum. Sed quid absurdius? Quomodo cuiquam innotescere poterit, fideles, vel Episcopos per Indorum, Bactrianorum, Scytharum, aut Sinarum, vel per algentes torridasque regiones dispersos, suum adjicere consensum, si tantum post menses & annos vix contingit ad illos pervenire emanatæ Constitutionis notitiam? Pendulus ne hærebit in sua fide Christianus quilibet, vel Episcopus Europeus, protrahens in ævum captivare intellectum in obsequium fidei erga articulum,

lum, seu dogma propositum, quia nondum edoctus est de aliorum consensu? Si ita est, injuste, & nequiter habiti sunt Pelagiani, ut hæretici, statim ac ab Innocentio I. condemnati fuere, quia nondum explorato ecclesiæ consensu de infallibilitate periclitabatur sententia. Eodem modo de pluribus hæreticis, & hæresibus loquendum est, quum expedite a sola sede Apostolica damnationem subierunt. Est igitur opinio absurditate plena quam maxime.

Respondent alii; sufficere consensum majoris partis ecclesiæ. Belle quidem. Quis est tantæ auctoritatis in ecclesia, ut suo arbitrio velit ecclesiam numerare, & in partes dividere? Deinde partem unam ad infallibilitatem fidei probare, alteram ex cerebro *rejicere*? Tanti ne est Academia aliqua, vel Clerus? Vos Fideles, vos Episcopi, qui inter infideles, vel hæreticos usque ad sanguinem dimicatis, placide sustinete, si vobiscum non est communis auctoritas instituendi infallibile judicium Papæ. Non placet uni Academiæ, non placet uni Clero hanc libertatem donare. Demus tamen hoc grande commentum. Quis erit judex in numeratione hujusmodi majoris partis Fidelium, vel Episcoporum, ut inde compertum existat omnibus Christi Fidelibus, perventum esse ad fidei obligationem? Nemo respondet. Nemo se prodit. In meri-

die, & in via oculis capti Andabatarum more contendimus. In toto orbe, præter unam Academiam, præter unum Clerum, omnes profitentur, & conclamant suam quidem obedientiam Apostolicis dogmaticis decretis devovere, nunquam tamen intendere consensum ullum præstare, qui ad necessitatem infallibilitatis quaquaversum concurrat. Attamen velint, nolint, cæteri fideles, vel episcopi trahuntur ad causam, & suum præstantes consensum finguntur. Mira res est! Major pars ecclesiæ, immo pene tota infallibilem dicit, & credit esse Pontificem Romanum, nullo accedente consensu ecclesiæ: & nihilominus ex tripode minima pars ecclesiæ pugnat acriter, & sustinet, quod consensum debeat præstare. Solvat nodum, qui hæc pugnantia profert.

Respondent alii; sufficere consensum episcoporum unius Provinciæ, ut fideles adstringantur ex fidei debito infallibili Papæ judicio se subjicere. Juxta hoc placitum infallibilitas Pontificia dependet à consensu unius Provinciæ, sive sit Metropolitanæ, sive sit Nationalis, nihil moror. Bifariam hoc intelligi potest. Vel quod iste consensus reddat ubique infallibile de fide judicium Pontificium, vel quod tantum de fide sit in illa Provincia. Si primum intelligatur, probrosum est cæteris ecclesiis suam

fidem

fidem mutuari ab ecclesia æqualis ordinis, & non a Pontifice Romano, qui est caput omnium ecclesiarum. Idcirco commentum hoc ex se ipso concidit. Si vero intendatur constitui tantum infallibilitatem in illa regione, & pro fidelibus illius Provinciæ, dura admodum res est, ut in frusta veluti dividatur fides, quum in una fide omnes necesse sit convenire. Rursus quid dicendum in casu quo episcopi illius Provinciæ, vel nationis inter se discordes fuerint, tum in præstando consensu, tum in explicando Pontificiam Constitutionem? Quid si episcopi præstito prius prætenso consensu, & publicato constituto, mox inconstantes utrumque revocaverint, & fidem prius insitam in populis funditus eradicaverint? Quid dicendum esset? Fortasse me ludere quis sentit. Sed experientia didicimus hæc omnia pessime cessisse in Galliis in mota quæstione contra dogmaticam Constitutionem Clementis XI. incipien. *Unigenitus Dei Filius*. Res sane luctuosa, ipsis Gallicanis episcopis boni, & æqui cultoribus invisa, & nigro signanda lapillo.

Vel igitur hoc placitum est pura Conclusio ex privato sensu ducta, vel ex fidei principiis derivata. Si primum, non arctabitur subditus, neque illius Provinciæ, vel nationis, obsequium fidei præstare. Si secundum, cur non arctabit totius orbis fideles?

Forsitan liberum est jocari in iis, quæ ad fidem spectant, & ad quemlibet ventorum flatum variare sententiam, in evidentem animarum perniciem?

Respondent alii; neque sufficere qualemcunque consensum episcoporum, ut probetur, infallibile esse Pontificis Romani judicium; sed insuper opus esse, ut præhabito concilio, & examine, episcopi, vel divisim, vel conjunctim proferant pro sua auctoritate, ex tribunali, sententiam. Ita in pluribus sparsis pagellis per Gallias evulgatis ab osoribus Pontificiæ laudatæ Constitutionis *Unigenitus* legere est, contra monitum Augustini præcipientis: (1) *Nullus affirmare audeat, quod nec divina ratione comprehendit, nec humana auctoritate defendit.*

Arbitrarium omnino videtur hoc placitum, nulla auctoritate suffultum, & plurimis incommodis dissensionis, & schismatis obnoxium, quemadmodum antedicta experientia est comprobatum. Ecclesiam Romanam a primordiis declaratam esse a Patribus Matrem, Magistram, & originem omnium ecclesiarum, ex Pontificis Romani sola auctoritate inspecta, ex qua jugis conservatio Catholicæ traditionis dimanat, novimus. Præclare id explicat (2) S. Irenæus, alii-

(1) de Anim. & ejus orig. l. 1. c. 13.
(2) l. 3. c. 3. adv. hær.

aliique quamplurimi, quos citare piget in re tam clara. Itidem scimus quamplurimas ecclesias defecisse in suo peculiari judicio, nedum singillatim edito, sed etiam inter se unitas in coactis Pseudosynodis. Quamobrem Ruffino exprobrabat Hieronymus, (1) *Miror quomodo probaverit Italia, quod Roma contempsit: episcopi susceperint quod fides Apostolica condemnavit*: & ad Demetriadem scribebat: (2) *Quia vereor, immo rumore cognovi, in quibusdam adhuc vivere, & pullulare venenata plantaria, illud te pio charitatis affectu præmonendam puto, ut S. Innocentii, qui Apostolicæ Cathedræ, & supradicti viri successor, & filius est, teneas fidem, nec peregrinam, quamvis tibi prudens, callidaque videaris, doctrinam recipias.* Millia hujus sensus testimonia ex antiqua traditione afferri possent. Quomodo ergo in hac postrema ætate contra majorum traditionem novum est inducendum tribunal (cui ob deficiendi periculum non est fidendum,) ut fideles in fide finaliter sint edocendi? Quomodo supra judicium Petri excelsiorem Cathedram licet erigere, quæ pluries fallere, & falli visa est? (3) *Negare non potes, scire te, in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam*

(1) l. 3. c. 5. cont. Ruffin.
(2) Epist. 8. c. 9.
(3) Optatus Mil. l. 2. cont. Parmen.

... *in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderet: ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, est &c.*

Neque dicas erigi Tribunal,ad confirmandam sententiam Papæ: Quia repono. Estne confirmanda sententia Clementis XI. in sæpe citata Constitutione *Unigenitus*, quando nonnullorum episcoporum judicium auditum est debacchari; Constitutionem ad internecionem animarum, fidei, & morum collimare, sanctos Patres pessundare, omnia disciplinæ Christianæ principia sus deque confundere, atque delere? Monita, Edicta, Volumina hæc perstrepentia aperta sunt, & recordari pudendum est.

Hæccine quo tendit opinandi libido, & ambitionis prurigo supra Cathedram Petri se extollendi, & supra matris, ac Magistræ auctoritatem, dimissio filii, & discipuli obsequio, condendi Tribunal? *Catholico non adulemur, nec ei, quia Christianus Catholicus est, impunitatem, quam scriptura divina non promittit, promittere audeamus*.. (1) docet D. Augustinus.

§.IX.

(1) De Bapt. cont. donat. l. 4. c. 19.

§. IX.

Cujuſdam Recentioris opinio falſitatis convincitur.

AD propoſitum in præcedenti Paragrapho quæſitum, Reſpondet recens opinator, ſibi perſuadens Pontificiam infallibilitatem componi per acceſſum conſenſus Eccleſiæ particularis Romanæ. Lepide ſatis. Eccleſia hæc Romana, ſive in ſuo Clero, ſive in ſuis ſubditis, ſive in Epiſcopis adjacentibus, ſive in ſacro Cardinalium Collegio ſpectata, profitetur omnino, Pontificem Romanum ex Cathedra loquentem ſemper fuiſſe, & eſſe per ſe ipſum, hoc eſt ex ſpeciali Spiritus Sancti adſiſtentia illum movente, & dirigente, infallibilem, ex privilegio ab Chriſto Petro, ejuſque Succeſſoribus collato; quo inconcuſſo principio rejicit, damnat, execratur cujuſcunque conſenſus acceſſionem, qui non ſit puræ obedientiæ. Attamen vel invitæ imponitur erutum, certe ex orco, privilegium conficiendi ſuo conſenſu infallibilitatem Papæ. Quis in ſuſpicionem non veniet, per omnes fraudes, & vias etiam contra ipſam Eccleſiam Romanam intentari ad evertendum caſtrum avitæ fidei? Verum im-

immota ſtat petra, ſupra quam fundata eſt, concuti poteſt, perdi non poteſt.

Tota hallucinatio in eo ſita eſt, quia laudatur a Patribus Eccleſia Romana, ut Mater, & Magiſtra veritatis, atque totius traditionis fideliſſima cuſtos: unde ab illa promanare debet infallibilitatis complementum, per ſuum conſenſum adjectum. Perperam omnia.

In Concilio Florentino edita fuit definitio fidei, in qua hæc legimus declarari: *Diffinimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Univerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi ac gubernandi Univerſalem Eccleſiam, a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum & in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur*. Hæc eſt fides eccleſiæ Romanæ. Colere ſe profitetur Eccleſia Romana Pontificem Romanum, ut omnium & ſuum caput: ut omnium, & ſuum Paſtorem, Doctorem, atque Magiſtrum. Profitetur ſe eſſe filiam, & diſcipulam, & membrum: Ut membrum ſuo capiti ſubdi, ut diſcipulam ſuo Magiſtro credere, ut filiam

liam suo Patri obedire palam explicat, & declarat.

Omni mentis, & animi asseveratione confitetur Ecclesia hæc Petro, & in Petro ejus successoribus privilegium singulare concessum fuisse a Christo pascendi omnes oves, confirmandique auctoritate sua omnes Fratres indefectibili scientiæ pabulo, & indeviabili sententia; adeout ipse Petrus, & quilibet successor ex speciali assistentia Spiritus Sancti nec fallere, nec falli possit docendo ex Cathedra. Confitetur hujusmodi Privilegium nemini alteri esse communicatum, itaut neque Ecclesiæ dispersæ, neque ipsa Generalia Concilia possint quicquam indeclinabili, & irretractabili judicio definire, vel statuere, quod a Pontifice Romano finali, ac peremptoria sententia ratum non fuerit habitum, & confirmatum: Uti etiam testati sunt Socrates, & Sozomenus, & acta ipsa Conciliorum. (1) Socrates quippe ait, loquendo de Ariano Concilio Antiocheno: *Julius Episcopus Romanus neutiquam aderat, neque quemquam, qui ejus locum suppleret, destinavit; Cum utique regula ecclesiastica jubeat: Non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari*. Quæ a Sozomeno confirmantur, narrante: (2) *Legem esse ad Sacerdotis*

(1) l. 4. hist. trip. c. 9.
(2) l. 3. hist. c. 9.

dotis dignitatem spectantem, quae pronuntiat, acta illa irrita esse, quae praeter sententiam Episcopi Romani constituuntur. Et saepius pronuntiatum id legere est, (1) apud S. Leonem, apud S. Nicolaum I. & alios.

Profitetur Ecclesia Romana nihil posse conferre ad infallibilitatem Pontificis Romani, vel suum, vel totius Ecclesiae consensum, quum Pastori nil valeant oves adjicere, quam audire vocem, & regimini subdi: quum Magistro atque doctori nil possint discipuli, & clientes adjungere, quam discere, & credere: suumque assensum non aliud operari, quam captivare intellectum in obsequium haustae fidei.

Profitetur Romana Ecclesia omnes, & singulas praerogativas, & splendida nomina sibi a Patribus donata, tum Matris, tum radicis, & originis Ecclesiarum caeterarum, quibus insignita legitur, unice a Petro, ejusque Pontificia dignitate in successores derivata procedere; Cujus rei argumentum est, quod si alio transferri contigisset Pontificiam Cathedram (quod numquam eventurum credimus) una quoque cum illa mutarent sedem, & locum encomia, & laudes, quibus nunc celebratur. *Felix Roma* canit Ecclesia: *Felix Ecclesia*, excla-

(1) S. Leo ep. ad Marcian. Imp. S. Nicol. I ep. ad Phot.

exclamat Tertull. de præscript. cap. 36. *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt*, ob sedem Petri præcipue illustrata splendore; cui concinit S. Prosper:

Sedes Roma (1) Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quicquid non possidet armis,
Religione tenet.

Et S. Leo Romam dicit ad hanc laudem provectam, ut (2) *Civitas Sacerdotalis, & Regia per sacram Beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideret religione divina, quam dominatione terrena.* (3) Expressius loquitur S. Nicolaus I. dicens: (4) *Privilegia enim sua a Christo Romana Ecclesia per Petrum consequuta est, & ipsa sunt statuta Christi.... Ecclesiæ, inquam, Romanæ adeo sunt antiqua, & vetera privilegia, ut Nicæna Synodus (sicut (5) Bonifacius Præsul Apostolicus, Episcopis per Thessaliam constitutis scribens ait) non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat domini sermone concessa.*

Quem-

(1) In Carm. de ingratis.
(2) Serm. in Nat. Apost. Petri & Pauli.
(3) Epist. 47. ad Galliæ Episc.
(4) Concil. Gall. tom. 3. pag. 259.
(5) Ep. edit. ab Holsten.

Quemadmodum igitur Roma celebris dudum apparuit ex auctoritate, & residentia Principis, cujus imperio orbis fasces subjiciebat, esto quicquam auctoritati non conferret; ita ecclesia Romana ex residentia Petri, & successorum summis laudibus effertur, etsi ad privilegia a Christo Petro collata nihil addere possit, aut præsumat. Ecclesia, Sedes, Cathedra, Thronus nominatur, pro sedente, pro Rectore, pro Principe, qui in se totam fert potestatem, & imperium. Ait enim S. Petrus Chrysologus. (1) *Vere B. Petrus immobile fundamentum salutis... Ipse est ergo custos fidei, petra Ecclesiæ, janitorque Cælorum. Ipse est Apostolicus piscator electus, qui ad se turbas errorum fluctibus mersas hamo sanctitatis invitat, & doctrinæ suæ reti concludit ad fidem hominum multitudinem copiosam.*

Non me latet, moris esse in Apostolicis diplomatibus sæpe inserere Clausulam: (2) *de Consilio, & assensu nostrorum Fratrum Cardinalium decernimus &c.* Sed nunquid id trahendum est ad roborandam Pontificiam infallibilitatem? Minime gentium. Consultationem præambulam ad causas majores, uti sunt illæ, quæ ex Cathedra definiuntur, adhibent Pontifices Romani: Votum suum Cardinales aperiunt, suique assen-

(1) Serm. 107.
(2) In Brevi Beatificat.

assensus consilium præbent. Sed quid ad infallibilitatem Judicii confert hic præambulus assensus? Assensus est consultivus, non decisivus, cui refragari potest, & sæpe refragatur summus Pontifex. Quæ confirmantur a Patribus Concilii Tridentini sess. 25. de refor. cap. 1. ubi commemoratur, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio administrationem Universalis Ecclesiæ apud Sanctissimum Romanum Pontificem niti. Res per se patet, neque enim de assensu prævio est sermo, sed de finali, & postremo, quem tantum dicimus esse puræ obedientiæ erga infallibilem Papæ sententiam.

Ad hæc collimant verba Gersonis, si sibi constans esse vellet, (1) de statu Papali disserens: *Status Papalis institutus est a Christo supernaturaliter, & immediate, tanquam primatum habens Monarchicum, & Regalem in Ecclesiastica Hierarchia; secundum quem statum unicum, & supremum ecclesia militans dicitur una sub Christo: quem statum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius, atque sacrilegus. Cadit enim in hæresim toties expresse damnatam a principio nascentis Ecclesiæ usque hodie; tam per institutionem Chri-*

(1) De Stat. Eccle. Consid. 1.

Christi de Principatu Petri super alios Apostolos, quam per traditionem totius Ecclesiæ in sacris eloquiis suis, & Generalibus Conciliis. Gersoni adhæsit Academia Parisiensis, quæ in articulis contra Lutherum exposuit: *Unum esse Jure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur*. Ergo si omnes parere tenentur, nullus consensus mediare potest, neque requiri, qui infallibilitatem judicii perficiat, ne in incertum obedientia incidat, & in discrimen veniat; ne avulso consensu, vel in longum dilato ipsa obedientia frustretur. Cæterum egregie congruit argumentatio divi Hilarii, quam Constantio exposuit circa pugnam excitatam suo tempore inter dissidentes Arianos, dicentis: (1) *dum in verbis pugna est; dum de novitatibus quæstio est; dum de ambiguis occasio est; dum de Auctoribus querela est; dum de studiis certamen est; dum in Consensu difficultas est; dum alter alteri anathema esse cœpit, prope jam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur, & aut dum docemus, perturbamus, aut dum docemur, erramus*.

(1) Apol. 2. ad Costant.

§. X.

§. X.

Argumenta petita ex Monumentis Ecclesiasticis diluuntur.

ROMANOS Pontifices, quum ex Cathedra docent, infallibiles quidem diximus, & ex traditione vindicavimus. Cæterum suis infirmitatibus obnoxios esse non diffitemur, quemadmodum legimus Petrum a Paulo reprehensum fuisse, quia reprehensibilis erat, ut ipse Paulus ad Galatas scripsit. Quum enim Petrus Antiochiæ substitisset, (1) *prius quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant*. Quod expendens Tertullianus (2) *Plane*, inquit, *reprehendit; non ob aliud tamen, quam ob inconstantiam victus, quam pro personarum qualitate variabat, timens eos, qui erant ex circumcisione; non ob aliquam divinitatis perversitatem, de qua & aliis in faciem restitisset, qui de minora causa conversationis ambiguæ, Petro ipsi non pepercit*. Si potuit subinde Petrus, gratia adeo eminenti dotatus, conversationis, non doctrinæ defectum admittere; quomodo

(1) Ep. ad Gal. c. 2.
(2) l. 5. cont. Marcion. c. 3.

do cæteros Petri successores ab omni labe purgabimus? Dictis stemus pro infallibilitate Romani Pontificis ex Cathedra docentis.

Ad labefactandam Patrum traditionem, qua de re agitur, afferunt adversarii exempla Ecclesiæ Asiaticæ, & Ecclesiæ Africanæ, quarum Episcopi, etsi sanctitate insignes, & sapientia præclari, refragari non dubitarunt Romanorum Pontificum generalibus constitutis ad fidem spectantibus, nempe Ecclesiæ Asiaticæ auctore Polycrate Ephesiorum Episcopo, pugnarunt adversus decretum S. Victoris PP. I. de celebratione Paschæ in die dominico; & Ecclesiæ Africanæ, duce S. Cypriano Episcopo, & Martyre, impavide steterunt contra decretum S. Stephani PP. I. de non rebaptizandis hæreticis. Utriusque historia recolenda est, & opportune expendenda; ut inde compertum fiat, an jure præfatæ ecclesiæ inficiatæ sint Pontificiam infallibilitatem.

Sæculo primo æræ Christianæ Ecclesia Romana ex traditione divi Petri solemnem diem Paschatis agebat Dominica sequenti Æquinoctium Vernum post quartamdecimam diem lunæ mensis Martii; E contra Asianæ Ecclesiæ juxta invectam consuetudinem Sancti Joannis Apostoli diem Paschalem celebrabant die 14. lunæ Vernalis

more

more Judaico. Studuit Anicetus PP. ab illa consuetudine dimovere Polycarpum Sanctissimum Episcopum Smyrnensem, in colloquio secum habito Romæ, sed frustraneus cessit labor, salva tamen permanente inter ipsos charitatis pace. Sæculo sequenti secundo, utraque pars pro suo pugnabat ritu, quum Asiaticæ Ecclesiæ impotenti æstu fervescentes ad excessus sua studia apportarunt. Siquidem undique (1) Romanos criminabantur, tanquam detractores Asianæ consuetudinis, & ab eorum communione se subtrahebant. Demum coacto Episcoporum Concilio sub Polycrate Ephesiorum Antistite, Synodicas litteras ad omnes Ecclesias direxere, quibus impietatis palam arguebant, qui luna 14. Martii Paschale festum non agerent. Victor PP. curavit audaciam compescere, & errorem; sed frustra. Quamobrem omnibus Asiaticis, nempe Asiæ minoris Ecclesiis comminatus est pœnam excommunicationis; vel ut aliis placet, excommunicationem in eas intorsit, ut a sententia discederent. Ab hac inobedientia, & contumacia in hæresim plurimi Asiatici prolapsi sunt, dicti proinde Quartadecimani, quos Concilium Nicænum profligavit, edito statuto, quo omnibus fidelibus denunciatus fuit dies Paschatis Dominica immediate sequens lunam 14.

E juxta

(1) Epiphan. hæres. 70.

juxta morem Romanum. Omnia constant (1) ex Eusebii historia, & ex Hieronymo in Catalogo script. Eccles. & ex Vener. Beda l. de Æquinoct. Verno.

Composita hac controversia Asiaticos inter, & Romanos, error idem in partibus Occidentalibus se abscondit, apud Scotos scilicet, & Britones sedem figens, adeo firmam, ut neque monitis, neque prædicatione S. Augustini Angliæ Apostoli potuerint unquam corrigi, vel dedoceri, & a sua pristina consuetudine celebrandi Pascha more Judaico descifcere. Fere per duo Sæcula in avita contumacia permansere, adeo ut Joannes PP. IV. ad illas Ecclesias ex zelo fidei in hæc verba scripserit (2) *Scripta quæ ad sanctæ memoriæ Severinum Papam adduxerunt, & de hac luce migrante, reciproca responsa, ad ea quæ postulata fuerant, siluerunt; Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa maneret, reperimus quosdam Provinciæ nostræ, contra Orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes, Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & 14. luna cum hebræis nitentes.* (3) Narrat Beda floruisse tunc temporis Sanctum Anatolium, S. Columbanum,

(1) l. 4. c. 13. & l. 5. c. 22. & seq.
(2) Beda hist. Anglor l. 2. c. 19.
(3) l. 3. c. 14. & 17. & alib.

num, aliosque sanctitate præclaros viros, & Episcopos.

Excurrere fas erat integram de hac quæstione historiam, ut integre ora loquentium contra infallibilitatem Papæ obstruerentur. Plura discimus ex narratis. I. Quod Episcopi Asiatici, tum Scoti, & Britones in errorem manifestum prolapsi sunt. II. Quod deinde aucta contumacia hæresis emersit. III. Quod Scoti, & Britones nedum elata fronte Romanos Pontifices contempserunt, sed etiam ipsum Generale Concilium Nicænum. Hinc si adversarii contendunt evincere ex inobedientia Asiæ Ecclesiarum erga Victorem PP. non fuisse illis probatam infallibilitatem Papæ; ex inobedientia quoque Ecclesiarum Anglicanarum erga Concilium Nicænum, colligere coguntur, tunc temporis minime compertam fuisse infallibilitatem Concilii Generalis. Quod certissime adversarii non probabunt. Ecce suo ense se jugulant, & incidunt in foveam, quam faciunt.

Cæterum communis responsio est, quid humani passos fuisse utrobique Episcopos, qui traxerunt greges suos simul in errorem splendida illa traditione, quam audierant a S. Joanne Apostolo originem ducere. Credebant proinde quæstionem versari in re disciplinæ duntaxat, in qua liberum esset suos ritus sequi. Abrepti deinde in abun-

dantia sui sensus, quemadmodum minime cogitavere de debito obsequendi, & veritati rei, & Victori Romano Pontifici, præcipiente Apostolo: (1) *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*; ita quoque non cogitarunt de infallibilitate Victoris PP. quam nefas erat prætermittere. Si error, si ignorantia, si hæresis valeant infallibilitatis traditionem, & veritatem delere, ipsi adversarii judicent. Semel enim hoc admisso, actum est etiam de ipsa veritate Sacræ Scripturæ.

Non absimili laborat æquivocatione alterum exemplum desumptum ex contentione mota a S. Cypriano adversus decretum S. Stephani I. quo statutum fuit, esse contrarium universæ traditioni rebaptizare hæreticos ad fidem Catholicam conversos. Res ita contigit. Sedente Romæ Stephano Sæculo III. æræ Christianæ, S. Cyprianus coacto Carthagine Concilio errorem ab Agrippino decessore Episcopo invectum de rebaptizandis hæreticis, instauravit, & datis Synodicis Epistolis, immoderato studio etiam S. Firmilianum Episcopum Cæsareæ in Cappadocia, & S. Dionysium Episcopum Alexandrinum in suam traxit sententiam. Stephanus pro muro stetit, vetuitque ne in hac re innovaretur vetus traditio, qua semper probatum fuerat baptisma

(1) ad Hæbr. 13.

ma vel ab hæreticis collatum. Ægre tulit Cyprianus Stephani decretum, & acrius quam par erat, illud perstringens, ad Pompejum scripsit in hæc verba: (1) *Nam inter cætera vel superba, vel ad rem non pertinentia, vel sibi ipsi contraria; quæ imperite, atque improvide* (Stephanus) *scripsit, etiam illud adjunxit, ut diceret: Si quis ergo a quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Quis itaque conficiet, Cyprianum (aliosque illius ætatis) credidisse infallibilem in docendo Romanum Pontificem, quem tot lacessivit conviciis? Ita arguunt adversarii.

Homines enim sumus, inquit D. Augustinus de S. Cypriani errore: (2) *Unde aliquid aliter sapere, quam res se habet, humana tentatio est. Nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad præcidendæ communicationis, & condendi schismatis, vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. In nullo aut sapere, quam res se habet, Angelica perfectio est.* Discant illi, qui contumaciam suam erga Sedem Apostolicam exemplo S. Cypriani tuentur: sed discant se ipsos probare, an fuso sanguine per Martyrii confessionem sequi Cyprianum parati, ac prom-

(1) Ep. 74.
(2) l. 2. de bapt. cont. donat. c. 5.

pti sint, adeout de ipsis repeti possint, quæ de illo scripsit Augustinus: (1) *Illum nævum in candore Sanctæ Animæ, charitatis ubera contegebant*.

Igitur respondeo, S. Cyprianum censuisse quæstionem de consuetudine baptizandi, vel non baptizandi hæreticos ad fidem conversos, esse adiaphoram, adeoque minime exprobrare debuisse Stephanum illam, quæ in Africa erat in usu; ut ipse Cyprianus in epistola Synodica ad Stephanum PP. expresse declaravit scribens: (2) *Ut de hac ipsa re quid singuli sentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit*. Esto subiratus deinde controversiam ultra disciplinæ limites extulerit. Præclare quoque scripserat Cyprianus de Romana Sede: (3) *Deus unus est, & Christus unus est, & una Ecclesia; & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata*. Et alibi Fortunati, & Felicissimi schisma percellens incusat, hæreses, & schismata gigni, quia unum Sacerdotem nequeunt novatores cognoscere, ac venerari. (4) *Neque enim aliunde hæreses*

(1) ib. l. 1. c. ult.
(2) August. l. 4. de bapt. cont. donat. c. 8.
(3) Ep. 40. ad Plebem.
(4) Ep. 55. ad Cornelium.

reses obortæ sunt (inquit) *aut nata sunt schismata, quam inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur.*

Hæc omnia probant, quænam fuerit Cypriani sententia erga Romanum Pontificem: Quam si in æstu disceptationis infecit, parcendum est imbecillitati humanæ, quam neque Cyprianus exuit. Laudatur Stephanus, qui pro veritate pugnavit; ait enim Vincentius Lirinensis: (1) *Tunc B. memoriæ Stephanus Apostolicæ Sedis Pontifex, cum cæteris collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimares, si reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat.* Sed non laudatur Cyprianus ob resistentiam factam Stephano, ob quam S. Augustinus scripsit in hæc verba ad Vincentium Donatistam: (2) *Correxisse* (Cyprianum) *istam sententiam non invenitur: non incongruenter tamen de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.*

Videant adversarii, an ab hujusmodi exemplis patrocinium quærendum sit. Sed præ-

(1) Common. adv. hær. c. 9.
(2) Ep. 58.

ſtat doctrinam Auguſtini audire. (1) *Quando*, inquit, *in Scripturis ſanctis mala a ſanctis viris facta legimus, non etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla.*

§. XI.

Nonnulli Romani Pontifices ab impactis erroribus vindicantur.

IN relata controverſia, ac diſceptatione de non rebaptizandis hæreticis inter S. Stephanum I. & S. Cyprianum exorta, contenditur, ſanctum Pontificem datis litteris ad Jubajanum epiſcopum ſcripſiſſe, non eſſe rebaptizandos hæreticos, dummodo in nomine Chriſti baptizati fuerint. Edoctus S. Cyprianus ab Jubajano de reſcripto S. Stephani, abreptus calore motæ quæſtionis intellexit, Stephanum baptiſmum approbaſſe in nomine ſolius Chriſti collatum, ſuppreſſa ſcilicet invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, contra expreſſam formam a Chriſto traditam in Evangelio. Quo factum eſt, ut Cyprianus inter alias conqueſtiones adverſus Stephanum exaratas (2) ad Pompejum, etiam hanc intertexuerit objectionem, docuiſſe Stephanum baptiſmum

(1) cont. Mend. c. 9.
(2) Epiſt. 73.

muni in nomine Christi collatum legitimum esse. In hunc errorem incidisse Stephanum adversarii subinferunt.

Non exstat epistola Stephani ad Jubajanum data, unde dubium excuti possit. Sed plane constat S. Cyprianum dubiis verbis captum fuisse, & pro baptismo a Christo instituto, intellexisse baptismum in solius Christi nomine collatum. Vindicat ipsum Stephanum Firmilianus in epistola ad Cyprianum data, in qua esto Stephanum perstringat super decreto de non rebaptizandis hæreticis, ostendit tamen mentem Stephani assecutum se fuisse circam formam baptismi, refellendo interim rationem, qua usus fuit Stephanus ad reprobandam baptismi iterationem. Scripsit enim Firmilianus in hæc verba. (1) *Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse, quis sit ille, qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Igitur mens Stephani in decreto explanata non eo tendebat, ut forma baptismi mutaretur in invocationem solius Christi, sed quod salva consueta forma, non iteraretur baptismus vel ab hæretico Ministro semel collatus.

Zephyrino Romano Pontifici commentitia culpa objicitur, quasi faverit Montani-
sta-

(1) inter Ep. Cypr. 75.

ſtarum hæreſi, approbando Prophetias Montani, Priſcæ, & Maximillæ, nec non donando eorum aſſeclis communionis pacem, eſto inconſtans, ea ipſa, agente Praxea, irrita fecerit. In teſtem producitur Tertullianus, qui refert: (1) *Idem tunc* (Praxeas) *epiſcopum Romanum agnoſcentem jam prophetias Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem eccleſiis Aſiæ, & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis, & Eccleſiis eorum adſeverando, & præceſſorum ejus auctoritates defendendo, coegit, & litteras pacis revocare jam emiſſas, & a propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare.*

Verum falſa, & iniqua criminatio ſe ipſa corruit, ſi Tertullianum eidem Tertulliano ſtatuamus adverſum. Hæreſis a Montano propugnata negabat mæchis, etiam pœnitentibus, omnem indulgentiam, tanquam reis irremiſſibilis culpæ. Zephyrinus palam edixit oppoſitum, referente eodem Tertulliano, qui ſcripſit: (2) *Audio etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium. Pontifex ſcilicet Maximus* (*nempe Zephyrinus tunc ſedens*) *quod eſt epiſcopus epiſcoporum, edicit: Ego, & Mæchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Utrumque narrat Tertullianus jam Monta-

ni

(1) adverſ. Praxeam c. 1.
(2) de Pudicitia c. 1.

ni assecla factus, jam Catholicis infensus, & irrisor. Quod argumento est, Zephyrinum Montanistis non favisse, adeoque falsum comminisci, ubi de communionis pace, & approbatione Prophetiarum Zephyrinum carpit. Nisi dicamus, ab hypocritis mentita pietate deceptum Zephyrinum (quod speciem boni præseferebat, a nulla specie mala infecti) non reprobasse, salva tamen fidei incolumitate; de qua nemo in monumentis antiquis reliquit suspicionem vel minimam. Sed quid ad infallibilitatem Papæ elevandam hæc prosunt? Forsan dicimus Pontificem Romanum immunem esse ab improborum malitia, qui venientes in vestimentis ovium, callide circumvenire possunt, & fallere Romanos Pontifices?

Sanctum Marcellinum Papam Idolis thurificantem producunt adversarii, ut infallibilitatem Pontificiam insolentius appetant, quam feriant. Si verus fuit Marcellini lapsus (de quo valida est pugna in contrarium) aliud evinci nequit, nisi Pontificem Romanum ex defectu humanitatis posse Christum negare, quemadmodum & de Petro legitur. Neuter tamen ex Cathedra definivit licitam esse fidei abnegationem, immo neque posse id ex Cathedra a Papa doceri sustinemus. Quod satis est ad propositi nostri scopum.

Cau-

Causam Donatistarum iterum vocant in jus adversarii, ut Melchiadis deprimant infallibilitatem. Hic Pontifex summus coacta Romæ synodo sententiam protulit contra Donatum a Casis nigris, in favorem Cæciliani, cui jura omnia favebant. Causabantur Donatistæ, fuisse invalidam Cæciliani consecrationem episcopalem, ut pote factam a Felice Aptungitano Antistite de traditione sacrorum Codicum culpato. Donatus inique ferens sententiam Melchiadis, ad Imperatorem Constantinum provocavit, ut aliud Judicium sibi concederet. Annuit Imperator: *dedit ille*, inquit Augustinus, (1) *aliud Arelatense judicium, aliorum scilicet episcoporum, non quia jam necesse erat; sed eorum perversitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohiberi*.

Hinc intendunt adversarii colligere, judicium a Melchiade latum non fuisse infallibile, adeoque neque irretractabile. Sed levissimi ponderis est objecta argumentatio, & præter rem. Siquidem Judicium Melchiadis non spectabat ad dogma, sed ad forum contentiosum Ecclesiasticum, de quo nullus est hic sermo. Præterquam quod nonne reunio Ecclesiæ Græcæ cum Latina pluries una cum articulis, in quibus diffidemus, retractata est in pluribus Conciliis Generalibus, quin nemo audeat his adimere infallibi-

(1) Ep. 162.

libilitatem judicii? Cur e contra adimenda est Romano Pontifici? Aliud afferri nequit, nisi Augustini sensus, & causa utrinque communis, nempe *Non quia necesse foret*, sed eorum perversitatibus cedens pia mater ecclesia, tractat, retractat schismaticorum vel rebellium causas, omni modo cupiens illorum impudentiam cohibere, & sanare. Quid? quod ipse Augustinus in eadem epistola scripsit: *Et tamen qualis ipsius Beati Melchiadis Ultima est prolata sententia, quam innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica*. Si Ultima, utique omni jure suprema.

§. XII.

Liberii lapsus expenditur.

NON paucis placet plusquam Stentoreos clamores tollere conclamando: Liberius lapsus est apertissime in Arianam hæresim, subscribendo Arianæ formulæ, & Sancti Athanasii condemnationi; Ergo Papa infallibilis esse nequit. Gradatim tamen expendenda res est; quia Liberii lapsum plurimæ offensionis originem fuisse, concedimus; infandæ Arianæ hæresis reatum negamus admisisse. In dicti probationem necesse est historiam recensere.

Postquam Liberius infracta constantia restitit

ſtitit imperio, precibus, minis, aliiſque hujus nequitiæ artibus, Conſtantis Imperatoris quum exul apud Beroæam ſubſiſteret, victus fuit ad ſubſcribendum condemnationi Athanaſii, & Formulæ Sirmienſi, deinde ad ineundam communicationem pacis cum Arianis epiſcopis, aliiſque illius improbæ factionis hominibus, a quibus ex Religione antea abſtinuerat.

De lapſu initæ communionis cum hæreticis quæſtio eſſe non debet, quum ſalva fide communicare quis poſſit, ex ipſa Pontificia diſpenſatione; & tantum in caſu de quo agitur, ad peccatum pernicioſi exempli reducenda res erit.

De lapſu in Athanaſii condemnationem ipſe Liberius ſe explicat in hæc verba: (1) *Ego Athanaſium non defendi, ſed quia ſuſceperat illum bonæ memoriæ Julius epiſcopus deceſſor meus, verebar ne forte in aliquo prævaricator judicarer. Et ubi cognovi, quando placuit, juſte vos illum condemnaſſe, mox conſenſum commodavi ſententiis veſtris*. Ementita facinora, quæ in Athanaſium ferebantur, ad diſciplinam, & forum eccleſiaſticum ſpectabant, adeoque omnino aliena ſunt a dogmate, quod Pontificiam lædat infallibilitatem. Coarguitur tamen ab ipſo Athanaſio, quod in his retractaverit illud odium, erga Arianam hæreſim præconceptum,

(1) Ep. ad Orient.

ptum, licet potius cogentium, quam Liberii fuisset voluntas. *Liberius*, inquit Athanasius, (1) *deinde post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus. Verum illud ipsum quoque, & eorum violentiam, & Liberii in haeresim odium, & suum pro Athanasio suffragium satis coarguit. Quae enim per tormenta, contra priorem ejus sententiam, extorta sunt, ea jam non metuentium, sed ita cogentium habendae sunt voluptates.* Et simili judicio cum Marcellini thurificatione; si res veritati cohaeret, Liberius est arguendus.

Reliquum est, ut de lapsu in subscriptione formulae Sirmiensis agamus. Tres formulae vulgo ferebantur sub nomine Sirmiensis editionis, esto prima dumtaxat in Sirmiensi Synodo contra Photinum facta revera fuisset. Prima igitur Photinum tantum execrabatur qui haereses Sabellii, & Pauli Samosateni instaurabat, contra divinitatem Christi domini. Aliae duae a semi-Arianis conceptae fuere, adeoque plane haereticae. Primae tantum subscripsit Liberius, quae Catholica est, teste S. Hilario; in ea enim anathemate damnantur qui dicunt Filium Dei (2) *de non extantibus aut ex alia substantia esse, vel fuisse tempus, aut saeculum, quando non erat.*

Sub-

(1) Ep. ad Solit.
(2) l. de Synod.

Subdole tamen Arianorum factio coegit Liberium ad subcribendum huic Formulæ, esto verbis, & sensu Catholicæ; (licet dolo hæretico Arianorum gravidæ) quia quum in eadem non fuerit expressum verbum *Consubstantiale*, quod lydius erat lapis ad agnoscendam fidem, & detegendam Arianam vafritiem, & hoc verbo non erat opus uti contra Photinum; in spem venerunt Ariani, quod devicta constantia Liberii per subscriptionem formulæ non exprimentis verbum *Consubstantiale*, proclive esset eundem adigere ad subscribendum alteri formulæ, cui sine fidei dispendio, hujusmodi verbum desiderari nequibat.

Verum equidem est, etiam in hac formula callidam Arianorum perviciam virus abscondisse suum, quia reticentia verbi *Consubstantiale*, ubique apud illos, a symbolo Nicæno, & fide avertebat, unde eorum studium erat utendi hac industria, ut fucum facerent incautis, & cæteros in perniciem pertraherent. Quamobrem S. Hilarius hæreticorum fraudes apprime intelligens, æque damnavit Synodos Sirmienses, & formulas ab illis exortas. Cui suspicioni præivit Athanasius scribens (1) *Multitudo Conciliorum, & diversitas scriptorum, indicium de se præbet, eos qui in illis Conciliis congregati fuere, adversus Nicænam quidem Synodum bel-* lum

(1) l. de Synod.

lum gerere, sed tamen imbecilliores esse, quam ut pares sint veritati. Hoc titulo tam (1) ipse Hilarius, (2) quam Hieronymus lapsum Liberium in hæresim proclamarunt.

Itaque Liberius hæresim per suam subscriptionem neque docuit, neque confirmavit, dum callida Arianorum perfidia extra formulam per cuniculos vim ageret. Lapsus tamen gravis fuit ob invectum scandalum, ad quod reparandum, quum Romanæ sedi restitutus fuit, fidem Nicænam palam professus est; cum S. Athanasio communionem redintegravit; Semi-Arianos ad Catholicam fidem reducere omni studio adlaboravit; Concilio Ariminensi strenue consensum negavit. Per epistolam ad totius orbis episcopos datam Arianos anathemate perstrinxit: Sancteque tandem extremum vitæ cursum tenuit, quin Pontificiæ infallibilitati, docendo ex Cathedra, quidquam detraxisset.

Æquum fuit plura super hoc argumento complecti, ne veritas difficultati cedere videretur.

F §. XIII.

(1) in fragm.
(2) in Chronico.

§. XIII.

De calumniis, ob confictos errores, Innocentio I. & Zosimo illatis agitur.

IN epistolam Innocentii I. (1) ad Episcopos Macedoniæ datam accusatio insurgit, quasi irritas declaraverit ordinationes factas a Bonoso Episcopo Sardicensi prædamnato, ut hæreseos auctore, conceptis sequentibus verbis: *Ad summam certe, qui nihil a Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis, qui conficiendorum Sacramentorum sibi vindicaverunt auctoritatem, atque id se putaverunt esse, quod de his nulla fuerat regulari ratione concessum.*

Solutio in promptu est. Innocentius locutus est de honore, & dignitate, quæ consequitur characterem impressum ex impositione manuum, non de ipso charactere, quo accepto ordinatio perficitur. In eadem Epistola satis se explicat Sanctus Pontifex, dum illos reprehendit, qui *in Catholica noverant propter vitia sua, non posse suscipere ordinationem*; *idcirco ad illum perrexisse, qui passim, & sine ulla discussione ordinationes illicitas faciebat.* Loco igitur, & honore vult Innocentius privatos eos, quos Bonosus ordinavit, & nihil obfuit effectui ordina-

(1) Epist. 27. ad Episc. Macedon.

nationis, quam dumtaxat illicitam pronunciavit.

Idem est sensus alterius epistolæ ad Alexandrum Antiochenum ab Innocentio I.(1) datæ, in qua perstringit Arianos, aliosque hæreticos, reprobando eorum ordinationes. *Non videtur*, inquit Innocentius, *Clericos eorum cum Sacerdotii, aut Ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate*. Neque fucum faciant sequentia verba: *Quoniam quibus solum baptisma ratum esse permittimus... nec Spiritum Sanctum eos habere ex illo baptismate, illisque Mysteriis, arbitramur.... Quomodo fieri potest, ut profanos eorum Sacerdotes, dignos Christi honoribus arbitremur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad percipiendam Spiritus Sancti gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus?* Ratum utique admittit baptisma, etiam si ab hæreticis fuerit collatum, permittitque, ut fidelium communione, & privilegiis donentur. Cæterum ordinatos ab hæreticis ab utroque excludit, quum Charitatis communione sint privati, eo ipso, quod a præcisis membris extra Ecclesiam, ubi non est plenitudo Spiritus Sancti, nec dari potest, ordinati fuere. Omnia veritati cohærent, neque infallibilitati Pontificiæ adversantur.

Zosimi PP. itidem impugnatur infallibilitas, objiciendo, ipsum approbasse libellum

(1) Epist. 18.

Cælestii Primipili Pelagianæ pravitatis, & eidem hæresi favisse, quod a veritate abhorret omnino. Res ita se habuit. Cælestius e Palæstina Romam profectus convenit Zosimum fucato vultu pœnitentis indutus; Libellum exposuit, in quo tria declaravit. I. Baptizandos esse infantes in remissionem peccatorum, sed non videri idcirco peccatum ex traduce firmari. II. se paratum, ac promptum dixit subscribere decretis, & literis decessoris Innocentii I. quibus hæresis Pelagiana prædamnata fuerat. III. declarat, ac spondet nihil aliud petere, quam instrui, & corrigi: *Si forte ut hominibus accidit, quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur*; (1) Narrat Augustinus. His auditis a Zosimo, una cum aliis querelis a Cælestio jactis adversus Patres Carthaginenses, quos impetebat; quasi temere, & sine examine paratos corrigi immaturo judicio rejecerint, & anathemate exterminaverint, prudentissime Pontifex decrevit Cælestium demulcere, eique blandiri, donec Carthagine Romam advenissent, qui probare possent, an vaferrimo, & mendaci animo, vel liberali, ac docili omnia locutus fuisset: Præhabita tamen, & statuta determinatione ab omni hac causa supersedendi, donec Sancta Sedes integre edocta fuisset.

D. Au-

(1) l. pecc. orig. c 6.

D. Augustinus ea omnia confirmat dicens: (1) *Sed multum misericors memoratæ Sedis Antistes, ubi eum vidit ferri tanta præsumptione præcipitem, tamquam furentem* (scilicet per expositam hæresim in libello clare, & aperte negantem Peccatum originale ex traduce:) *donec, si posset fieri, resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus, & illius responsionibus colligare, quam districta feriendo sententia, in illud abruptum, quo jam propendere videbatur, impellere*. Pergamus ad verba sequentia Augustini: *Ideo autem non dixi: Aperte ceciderat, sed propendere videbatur, quia superius in eodem libello de hujusmodi quæstionibus locuturus, ante prædixerat: Si forte ut hominibus quispiam ignorantiæ error irrepserit, vestra sententia corrigatur*.

Ulteriorem Augustini historiam legamus: *Hanc ejus* (nempe Cælestii) *prælocutionem Venerabilis Papa Zosimus tenens, egit cum homine .... ut ea, quæ a Diacono Paulino fuerant objecta, damnaret, atque ut Sedis Apostolicæ literis, quæ a S. M. suo Prædecessore manaverant, præberet assensum. At ille* (*Cælestius*) *noluit ... objecta damnare, sed beati Papæ Innocentii literis non est ausus obsistere: imo se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum se esse promisit. Atque ita velut Phreneticus, ut requiesceret* tam-

(1) l. 2. ad Bonif.

tamquam leniter fotus, a vinculis tamen excommunicationis non est creditus esse solvendus. Sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus, sub quadam medicinali lenitate, concessus est. Perlegamus & finem narrationis Augustini, ut tota facti series sub oculis sit: *Quoniam revera, si deposita pervicaciæ vanitate, quod promiserat, (Cælestius) vellet attendere, & easdem literas, quibus se consensurum esse responderat, diligenter legeret, sanaretur. Sed postea quam ex Africano Episcoporum Concilio rescripta detecta sunt, quid fuerit consecutum, ut justissime in eum sententia proferretur, cuncta legite, quia cuncta transmisimus*. Nempe post tentatam frustra Cælestii emendationem, iterum damnatus fuit, & repetito anathemate confossus.

Discimus ergo, Zosimum probe novisse hæresim in libello exaratam; Prudentissime tamen dissimulare gestiit, ne spes concepta emendationis præfocaretur in limine. Quapropter non dixit libellum esse Catholicum ob dogma in eodem impie expositum, sed ob insertam protestationem, qua Cælestius se pollicebatur paratum instrui, edoceri, & corrigi, quod vere Catholicum sapit. Responsio est divi Augustini apprime de tota re conscii. (1) *Cum hoc*, inquit, (nempe negan-

(1) l. 2. ad Bonif. c. 3.

gando Peccatum originale) *Cæleſtius in ſuo libello poſuiſſet, inter illa dumtaxat, a quibus ſe adhuc dubitare, & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acerrimi ingenii, qui profectò, ſi corrigeretur, plurimis profuiſſet, voluntas emendationis, non falſitas dogmatis approbata eſt. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus eſt, quia & hoc Catholicæ mentis eſt: ſi qua forte aliter ſapit, quam veritas exigit, non ea certiſſime definire, ſed detecta, ac demonſtrata reſpuere.*

Si autem quis contendat adhuc erraſſe Zoſimum fidem præſtando vaferrimo hæretico: Dico privilegium, quod vindicamus Romano Pontifici, eſt illud infallibilitatis in docendo ex Cathedra, neutiquam illud ſcrutationis cordium, de quo nulla legitur promiſſio in Evangelio.

§. XIV.

Errores ab Hormiſda, & Vigilio depelluntur.

ERroris reum Hormiſdam dicunt adverſarii, quod reprobaverit propoſitionem: *Unus de Trinitate carne paſſus eſt;* quam deinde probavit, & laudavit Joannes II. anathemate itidem feriens Monachos Acæmetas (ideſt inſomnes, utpote alternatim ſemper vigiles ad orandum) qui antedictum aſſertum, ut erroneum carpebant,

atque omnibus nervis insectabantur. Hinc errantem Hormisdam appellitant.

Attamen ad veritatem historiæ provocandi sunt Monachi Scythæ. Scripta professione fidei per suos Nuntios coram legatis Pontificiis Constantinopoli degentibus, summe urgebant, ut probaretur propositio recensita: *Unus de Trinitate passus est carne:* ea ducti opinione, ut omnino in formulis fidei a Concilio Chalcedonensi editis, consereretur, tanquam necessaria earumdem explicatio, & ad confodiendas hæreses mucro absolutissimus. Legati Apostolici, rejecta instantia adeo absurda, rem totam ad Hormisdam detulerunt, ad quem successive iidem Monachi Scythæ per alios Nuntios de illata sibi injuria appellarunt. Accepit Hormisdas, ut par erat, petitionem Monachorum, tanquam absonam, intempestivam, atque captiosam, utpote Diabolicæ zizaniæ semina injicere gestientem. Stetit Hormisdas ad instantiam inflexibilis, & Monachi in furorem acti usque ad seditionem populi devenerunt: (1) *eousque tumoris elati*, inquit ipse Pontifex, *ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse judicium.*

Hormisdas hanc Monachorum petulantem insaniam, ac pervicaciam perhorrescens nihil de proposita assertione, vel exami-

(1) Ep. 67. ad Possessorem.

minis, vel censuræ dicere voluit, sed data epistola ad Possessorem Afrum Episcopum præmonere sategit, ne insolenti Monachorum postulationi aures præberet. In hac epistola totus est, ne quidquam novitatem redolens fidei formulæ Chalcedonensis Concilii immisceretur; absurdum videlicet, inutile, & perniciosum sentiens quidquam addere, & si quandoque bonum in se videatur, fidei formulis; maxime privati ingenii procaci præsumptione adinventum. Hæc itaque Hormisdas abhorruit, vetavit, & execratus est, quidquid dicat Joannes Maxentius Monachus pariter Scytha, qui epistolam Hormisdæ ad Possessorem, dissimulato auctore, adeo exagitavit, ut impudentissime etiam Pelagiana labe infectam esse, pronuntiaret; eo quod scripserit Hormisdas: *Proficimus inter adversantes propriis bonis, si non involvamur erroribus alienis*. Propria namque bona, non desinunt esse dona Dei, quod ad rem non pertinebat apponere, utpote notorium.

Cæterum etsi Hormisdas rejecisset propositionem Scytharum Monachorum, ut consonam Eutychetis hæresi, & contrariam definitioni Concilii Chalcedonensis, contra Eutychianam, aut Nestorianam hæresim; quid obest infallibilitati Pontificiæ, si Joannes II. alter Pontifex in alio sensu eandem probaverit ad exprobrationem Acæmeta-

tarum, qui Nestoriana perfidia imbuti, eandem propositionem exhorrebant? Nonne propositio: *Pater major me est*; ab ore Christi procedit? & tamen in ore Ariani blasphemia erat, & nota hæreseos denigrata; ubi prolata a Catholico, est repetitio sermonis Domini. & hæc satis.

Controversia diuturna de tribus capitulis aperit viam adversariis, fallibilitatis insimulare Vigilium PP. eo quod pugnantibus inter se decretis de illis judicium tulerit. Tria autem hæc capitula complectebantur: I. Scripta seu libros Theodori Mopsuestiæ Episcopi, qui Eunomium, & Apollinarem confutando plura miscuit Nestoriana hæresi infecta. II. Scripta Theodoriti Cyri Episcopi impugnantia Anathematismos a S. Cyrillo editos contra Nestorianam hæresim, quos criminabatur, ut Apollinaris erroribus conspersos. III. Epistolam Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam, in qua plurimum Theodorus Mopsuestenus, ejusque doctrina commendabatur. Super his tribus nuncupatis capitulis, tres quoque circumferebantur sententiæ. Etenim alii perurgebant strenue illorum damnationem, evulgantes nunquam extinctum iri Nestorianam hæresim, nisi proscriptis ejuscemodi scriptis. Alii tria capitula propugnabant, tum ut erroribus vacua, tum quia auctores ut optime de fide meriti, ac probati sessionem re-

spe-

ſpective tenuerint in conciliis Epheſino, & Chalcedonenſi. Alii tandem ab utroque placito abhorrebant, rati non eſſe, juxta primos, opportunum proſcriptionem Capitulorum perſequi, utpote ab Acephalis intentatam, qui ſub ſpecie delendi Neſtorianiſmum in Epheſina ſynodo confoſſum, patrocinium deinde paraturi erant Eutychianiſmo, concutiendo Chalcedonenſe Concilium, in quo Theodoritus, & Iba ſederant. Neque, juxta ſecundos, dimittenda eſſe cenſebant omnia ſcripta abſque debita cenſura, ſed tempori indulgendum eſſe, ut propitior affulgeret dies complendi omnia ex debito. Interim ad ſummum proſcribenda eſſe ſcripta Mopſueſteni Epiſcopi, ut antiquioris Scriptoris, & gradatim quoque aliorum, ſalva ſemper auctoribus reverentia.

Obſita undequaque ſpinis erat via, qua incedendum eſſet. Quapropter Vigilius probe conſcius periclitari vel Epheſinum, vel Chalcedonenſe Concilium, cunctatione utendum eſſe cenſuit, & pro temporum ratione conſilium eſſe ſumendum. Eo vel maxime quod Roma evocatus Vigilius a Juſtiniano, urgentiſſime excitatus fuerit ab Epiſcopis pluribus occidentalibus, & rogatus, ne in hac re quicquam novitatis admitteret. Sed dum iter ageret, monitus fuit de peracta damnatione trium capitulorum, cujus ſubſcriptionem ab Epiſcopis adden-

dendam præstolabatur Theodorus Cæsareæ Capadocum Episcopus Acephalorum Coriphæus: Statimque arrepto calamo scripsit Vigilius ad Mennam Constantinopolitanum Præsulem, illam reprobando, & ut rescinderetur, etiam apud Imperatorem agendo. Deinde ut me expediam, permissa hujus causæ discussione in Conventu 70. Episcoporum, ibique datis suffragiis de edenda damnatione, ipse Vigilius dedit ad Mennam *Judicatum* trium Capitulorum damnationis. Non potuit tamen flecti, ut eidem insisteret, quin totus incumberet, ad trahendos tum Principem, tum Episcopos, ut coacta Synodo ex oriente, & occidente, eidem remitteretur controversia finienda.

Synodus coacta fuit Constantinopoli 150. Episcoporum ex oriente; paucissimi vero ex occidente adfuere, apud quos Vigilius male audiebat ob *judicatum* damnationis. Synodus damnavit Capitula, sed Vigilius renuit damnationem confirmare, ne hoc actu Episcopos occidentis in schisma pelleret. Idcirco lato Constituto mediam amplexus est viam. Theodori Hæreses damnavit suppresso illius nomine, juxta exemplum Concilii Ephesini. De Theodorito dixit, jam in Synodo Chalcedonensi satis actum fuisse, super scriptis adversus Cyrillum; fuisseque Patres illos contentos, ad Theodoriti exprobrationem, eum cogere, ut anathema

di-

diceret Nestorio, ideoque ab ulteriori condemnatione fore supersedendum. De Ibæ epistola, utpote jam perlecta in eadem Synodo Chalcedonensi, & absque discussione dimissa, nihil esse retractandum. Hac œconomia usus est Vigilius, ne in totum indulgens Orientalibus Episcopis, Occidentales offenderet, & auctoritas Conciliorum elevaretur: vel in totum occidentalibus tribuens denegata condemnatione, orientales ad Schisma commoveret. Adeo dura erat, & tristis illorum temporum conditio, ut vix prudentiæ superesset consilium. Tandem Vigilius, ut pacem daret tumultuanti discordiæ, flexus est ad confirmandam condemnationem trium Capitulorum, una cum auctoribus, in præfata Synodo statutam, quæ proinde nomine Quintæ Synodi habita est in Ecclesia.

Quod nostra interest, discere ex facti serie debemus, nunquam Vigilium laudasse hæresim, aut hæreticos homines, neque unquam alterutrum absolvisse; sed tantum judicium distulisse quo ad tempus, quod prudentissime inopportunum cognoscebat, ob acre, & callidum partium studium. Igitur super re fidei nequit coargui de inconstantia Vigilius. Renuebat quidem Vigilius ad expressam damnationem Auctorum descendere, sed non ut illos a culpa eximeret, sed ut morem gereret Conciliis Ephe-

sino, & Chalcedonensi, quæ a sententia contra personas perspecte abstinuerunt. Quamobrem si hæc opportuna tempori dispensatio exemit laudata Concilia a quolibet probro, non est cur verti debeat crimini Vigilio.

Si quis autem percunctabitur, ubi constet Vigilium in re fidei non fuisse inconstantem, sibique repugnantem, si ipse in Epistola ad Eutychium Constantinopolitanum data, ingenue fatetur, se retractare ea omnia, quæ ad defensionem trium capitulorum facta sunt, quia comperta, irrequieto studio, sanctorum Patrum doctrina, plene edoctus tandem fuerit, cuncta erroribus scatere? Respondeo, id constare ex ipso Vigilio, qui narrationem inchoans de gestis præsentis controversiæ, ait: (1) *In una, eademque quatuor Synodorum fide sincere persistentes, cavillationibus, versutiis, & dolo malo ab iis dividere conatus fuerit, ita ut nosmetipsi, qui ejusdem cum illis eramus, & sumus de fide sententiæ, insuper habita dilectione fraterna in discordiam abierimus*. II. Constat ex S. Gregorio, qui ad Episcopos Istriæ scribens ait: (2) *de quibusdam solummodo personis fuisse ventilatum*, in illa quæstione Trium Capitu-

(1) Ep. ad Eutychium.

(2) l. 2. ep. 10. ad Greg. Savinum, & l. 3. ep. 57. ad Constantium Mediol.

tulorum. III. Conſtat ex epiſtola Pelagii I. ad Childebertum Regem Francorum ſcribentis; *extra fidem* de tribus Capitulis diſceptatum eſſe in Oriente. Et conſtat ex epiſtola Pelagii II. ad Epiſcopos Iſtriæ, in qua lato calamo vindicat Vigilium, aperteque dicit Pelagius *nihil aliud quam de perſonis* controverſiam incruduiſſe. IV. Conſtat, quia ſuper damnatione perſonarum jam vita functarum, plurimum ſtudium mentes Synodi occupavit; nempe an retractanda foret cauſa de illis Epiſcopis, de quibus Concilia Epheſinum, & Chalcedonenſe recte locuta fuere. Deinde an illi Epiſcopi jam defuncti in Communione pacis potuiſſent anathemati ſubjici. His ſublatis difficultatibus, inclaruit Vigilio, quid & quomodo definire opus erat, ſcilicet, & cohærenter ad præcedentem condemnationem, & ad execrationem Auctorum, juxta juris regulas. Hæc eſt illa veritas, quæ latebat Vigilium, & ante perfectam aſſecutionem videbatur ſpecie tenus defenſioni trium Capitulorum favere. Quamobrem aſſeveranter dico Vigilium nihil in negotio Trium Capitulorum retractaſſe, aut immutaſſe ad fidem attinens, ſed tantum circa ea, quæ ad diſciplinam ſpectant, cujuſmodi ſunt damnationes Auctorum libelli hæreſibus obſiti.

Itaque compertum remanet, Factum Vigilii non officere infallibilitati Pontificiæ,

quia

quia quæcumque inconstantia illius fuerit, œconomia, & dispensatio necessaria fuit, citra fidei dispendium, & opportuna improbo tempori, super iis, quæ variabilem postulant disciplinam, quemadmodum actum est in ipso Universali Concilio Chalcedonensi, cui nemo exprobrat fallibilitatis labem. Ad horum lucem ampliorem juvabit legere verba Pelagii II. dicentis: (1) *debet ergo perpendere vestra dilectio, quia prædecessorum nostrorum consensus in hac causa tanto post inanis non fuit, quanto prius duris contradictionum laboribus insudavit.*

§. XV.

Honorius I. a nota hæreseos abstergitur.

MOnothelitarum hæresis incendium, quod septimo Ecclesiæ sæculo in Oriente eruperat, ex cineribus a tempore Heraclii Imperatoris incensis, adhuc adversarios concitat, ut Honorium I. eodem igne obvolvant, & proinde hæreticum Monothelitam, hæresisque doctorem combustioni addicant. At enim arguunt, Honorium rescriptis suis ad Sergium Constantinopolitanum Antistitem datis docuisse voces

(1) Epist. 3. ad Heliam Aquileens. & Episc. Istriæ c. 8.

ces geminæ voluntatis, & operationis esse *novas, Patribus ignotas, recenter inductas*, adeoque omnino supprimendas, ne scandalum fidelibus præpostere injiciant. Addidisse etiam, inclamant, *ineptum, otiosum, & grammaticale* esse inquirere, an post unionem in Christo duarum naturarum, duæ manserint voluntates, & operationes; eosque, qui de una vel gemina voluntate in Christo investigare aggrediuntur, merito appellari *vanos, naturarum ponderatores, otiosos negotiatores*; postremo jussisse, ut de una vel gemina voluntate, & operatione Christi altum haberetur silentium. Ex quo ad complementum infandi facinoris factum est, ut ipse Honorius injuste succenseret Sophronio Sanctissimo Præsuli Hierosolymitano, quia impense adversus Sergium Monothelitarum Principem scriberet, obortamque hæresim pro virili percuteret. Quibus omnibus recte perpensis in sexta Synodo, a Patribus illis conclamatum est Honorio anathema, una cum Sergio, Pyrrho, cæterisque Monothelitis. Quis igitur hæresis notam inficiando ab Honorio docente ex Cathedra depellere audebit?

Angusta, & incisa argumentatio est, sed parum urgens consideranti, responsalem Honorii ad Sergium privati hominis fuisse epistolam, non Pontificis ex Cathedra docentis universam Ecclesiam, cui infallibi-

litas judicii ineſt. Privatim conſultus a Sergio fuit Honorius; mendaciis circumventus, quod voces unius vel geminæ voluntatis in Chriſto ſcandalo fidelium eſſent: quod Sophronius dictans omnia ſuſdeque commoveret ob ineptam vocum novitatem: quod ſalva rectę fidei duarum naturarum indiviſe, & impermixte in Chriſto profeſſione ſopiendæ erant undequaque diſcordiæ, ſi ſilentio premerentur inutilia vocabula unius vel geminæ voluntatis, & operationis in Chriſto, ad quod ipſe Imperator dicebatur proclivis. Privato ſenſu, privato reſponſo ſe credulum præbuit Honorius, & in errorem lapſus eſt. Patet ex ipſa Honorii epiſtola ad Sergium relata in ſexta Synodo act. 14. ubi legitur ab Honorio ſcriptum. *Auferentes ergo (ſicut diximus) ſcandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes Definientes prædicare*. Quid autem eſt, ut error privati hominis in Pontificem docentem ex Cathedra univerſam Eccleſiam ſit intorquendus?

Sufficeret utique hæc reſponſio ad elevandum argumentationis propoſitum. Sed quia præſtat, juſtitia poſcente, Honorium ab impacta hæreſi vindicare, altius repetenda res eſt; eo vel maxime, quum vindices Honorii habeamus Joannem IV. in Apologia pro Honorio, ad Conſtantinum Imp. Filium Heraclii data: S. Maximum Marty-

rem

rem in Dialogo cum Pyrrho Monothelita, & in epiſtola ad Marinum; & Anaſtaſium Bibliothecarium in ſuis ad (1) Joannem Diaconum Collectaneis, præter innumeros alios ſcriptores, qui de hoc argumento late diſſeruerunt.

Quum Heraclius confecto bello Perſico ſubſiſteret Hierapoli, quidam Anaſtaſius creditus Patriarcha Jacobitarum, illum convenit gratulationis ergo de parta victoria. Hoc colloquium impulit Imperatorem, ut Anaſtaſium Eutycheti addictum hortaretur ad inhærendum Chalcedonenſi Concilio. Qua arrepta occaſione homo vafertimus interpellavit Heraclium, an una, vel duæ voluntates, & operationes dicendæ eſſent ex Religione in Chriſto? Neſcius, & inopinato perculſus Imperator remiſit Anaſtaſium, ut Sergium ſuper propoſita quæſtione conſuleret, & Cyrum Phaſidis Epiſcopum, a quibus accepto reſponſo pro unica voluntate, extorſerunt ſimul juncti ab Imperatore Edictum, Ecthesim appellatum, quo Heraclius omnibus præcipiebat, unicam in Chriſto profiteri voluntatem. Tunc Sergius Conſtantinopoli, & Cyrus Alexandriæ, quo ex mercede iniquitatis translatus fuerat, coactis Conciliis hæreſim Monothelitarum jam præformatam ſtabilem reddiderunt. Perſpecta hac hæretica novitate Hieroſolymita-

(1) Apud Anaſt. Bibliot.

tanus Episcopus Sophronius omnibus nervis obstitit, tum lingua, tum calamo, datis etiam literis confutatoriis ad ipsos Sergium, & Cyrum, & hortatoriis ad Honorium Romanum Pontificem, ut tantæ perfidiæ occurreret.

Timuit Sergius, ne præoccupatus Honorius a verbis, & precibus Sophronii, comperta veritate, male partum Dogma destrueret; ideoque fallendi omnigena arte eruditus, mille mendacia construxit, & ob oculos Honorii missa Epistola ex dolis, & fraudibus infarta hæc proposuit. I. scripsit: in unum coaluisse omnes populos per Egyptum, Lybiam, finitimasque provincias dispersos, ad se dedendos sanctionibus Concilii Chalcedonensis, cui adversabantur, hoc intercedente temperamento, ut unicam in Christo profiterentur voluntatem, & operationem. II. Unum tantum reluctare Sophronium fultum aliquibus probabilibus Patribus, qui semel vel iterum duas dixerunt voluntates, & operationes in Christo. III. quod tandem Sophronius inflexus esset ad tollendas exortas contentiones, discordiasque vergentes ad Schisma, ut tectis sub silentio unius vel duarum voluntatum vocibus, quod tantum spectat ad Dogma Ecclesiasticum, omnes confiterentur, Verbum Dei in carne, & divina natura operari. IV. Scripsit Sergius ex hoc silentii tempe-

ra-

ramento tolli quorundam errantium assertum, ponentium in Christo duas voluntates contrarias, aliam rationis, alteram pugnantis appetitus, quæ a solo peccato originali descendit, cujus expers est Christus. V. Hanc doctrinam excerptam esse ex libro dogmatico a Menna Patriarcha Constantinopolitano ad Vigilium PP. transmisso de una operatione, & una voluntate, cujus exemplar jam propediem ad Imperarem erat directurus.

His strophis circumventus Honorius, inexplorata rei veritate, & partium momentis inauditis, rescripsit (1) ad Sergium. I. Laudavit dispensationis œconomiam adhibitam de reticendis vocibus unius, vel geminæ voluntatis. II. Animadvertit, harum vocum prædicationem posse periculum infirmis ingerere erroris, perinde ac si admittantur in Christo duæ voluntates sibi ipsis contrariæ, quod est alienum a recta fide. III. Circumspicit prolationem Vocum unius vel geminæ voluntatis posse labefactare unum, vel alterum Concilium, nempe vel Ephesinum, vel Chalcedonense, adeoque vel Nestorianam hæresim, vel Eutychianam reintegrare. Siquidem infirmis, aut malevolis ingeniis occasio injusta esse poterit, ex voce unius voluntatis, & operationis colligendi, juxta Eutychetem, confusionem, &

(1) Ep. relect. in 6. Synod. act. 12.

permixtionem naturæ divinæ, & humanæ in Christo; Perinde ac ex prolatione geminæ voluntatis, & operationis inferendi, juxta Nestorium, duplicitatem suppositi in eodem Christo. IV. scripsit (1) Honorius ad Sergium, Profiteri necesse in Christo duas naturas divinam, & humanam inconfuse, indivise, atque inconvertibiliter, & unamquamque illarum esse propria operantem. V. Mandat, quod ablato scandalo adinventionis novellæ de Voce unius vel geminæ voluntatis, caveant unam vel duas operationes *definiendo* prædicare.

Hæc est summa epistolarum Honorii ad Sergium, ex quibus discimus, Honorium Catholice locutum esse, & contra Nestorium, & contra Eutychetem; & insuper fassum fuisse, in Christo unitas esse naturam divinam, & humanam, & utramque sibi propria operari; non aliter certe quam per propriam uniuscujusque virtutem, & operationem. Negando igitur duplicem voluntatem, solummodo de voluntatibus contrariis licet interpretari, quod sane Catholicum est. Ita interpretatur Joannes PP. IV. dicens. (2) *Secundum hunc igitur modum, jam dictus decessor noster (Honorius) prænominato Sergio Patriarchę percontanti scripsisse dignoscitur: Quia in Salvatore nostro duæ*

(1) Et ep. relect. in 6. Synod. act. 14.
(2) In cit. Apol. pro Honor.

duæ voluntates contrariæ, id est in membris ipsius, penitus non consistunt, quoniam nihil vitii traxit ex prævaricatione primi hominis. Ita S. Maximus Martyr. (1) *Cum enim*, inquit, *scripsisset Sergius, esse qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus; Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, inquam, & spiritus, sed unam tantum, quæ naturaliter humanitatis ejus nota est*. Ita ille ipse, qui fuit a literis ejusdem Honorii, ab ipso Maximo citatus, a quo ratio reddita est, quia in *Epistola Honorii Membrorum, & Carnis facta est mentio, quæ divinitati ejus non possunt attribui*. Igitur de voluntate humana erat sermo, quum dicta fuit Una tantum in Christo.

Ast huic interpretationi repugnat Sextę Synodi anathema contra Honorium,una cum Sergio Monothelita emissum. Non inficior; esto eruditi non pauci, inter quos Baronius, suspicentur ex fraude scriptum fuisse nomen Honorii, violata veritate Autographi actorum. Attamen respondeo; Honorium neque fuisse hæresi infectum, neque ut hæreticum fuisse damnatum. Egregie id probat testimonium (2) Leonis II. pro confirmatione ejusdem sextæ Synodi scribentis ad Constantinum Pogonatum Imperatorem,

 ubi

(1) In cit. Dialog.
(2) Sexta Synod. act. 18.

ubi ait. *Anathematizamus... & Honorium qui hanc Apostolicam Ecclesiam, non Apostolicæ traditionis doctrina, lustravit, sed profana proditione immaculatam fidem maculari permisit.* Quam permissionem, in quo sita fuerit, explicat idem Leo in alia epistola ad Episcopos Hispaniæ, in hæc verba: (1) *Qui vero adversus Apostolicæ doctrinæ puritatem perduelles extiterant, abeuntes quidem æterna condemnatione mulctati sunt, idest, Theodorus... Cyrus... Sergius, Pyrrhus... cum Honorio, qui flammam hæretici dogmatis, non ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit.*

Honorius itaque non ut hæreticus damnatus fuit, sed quia erumpentem hæresim non extinxit, & a Sergio illusus credulas aures præbuit; petita præpostere indulsit; in captionem verborum venit, & per imprudentiam in adversarii casses incidit. Quæ omnia sunt quidem culpæ peccantis solicitudinis, non autem vulnera Pontificiæ infallibilitatis. Ex quo Agatho PP. vere potuit ad præfatum Imperatorem Constantinum scribere, post Honorii factum, (2) *Apostolicam Ecclesiam a tramite traditionis Apostolicæ nunquam errasse, nec hæreticis novitatibus depravata succubuit, sed ut ab exordio Christianæ fidei percepit ab auctoribus*

(1) Epist. 2.
(2) Extat act. 3. sext. Synod.

bus suis Apostolorum Christi Principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius domini Salvatoris divinam pollicitationem.

§. XVI.

Errores, quibus notantur Gregorius III. & Stephanus III. futiles deteguntur.

SAnctus Bonifacius Germanorum Apostolus in perenne suæ venerationis, obedientiæ, & religionis erga sedem Apostolicam argumentum, literas dedit, missis delectis Nuntiis ad Gregorium III. quibus explicata sui Apostolatus agendi ratione, plura proposuit quæsita, ut juxta Romani Pontificis doctrinam edoctus, tuto pede Gentes illas ab infidelitate eriperet, & sanis imbueret documentis. Respondet ad singula Gregorius, & ipsa responsio retegit, æque quæsiti rationem, ac datæ doctrinæ difficultatem, quæ nares adversariorum adeo insolenter pupugit. Verba Gregorii III. sunt: *Nam quod posuisti, quod si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis: bonum esset, si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas præ-*

præpedit, & non detestabilis culpa excludit. Erroneum est, exclamant infallibilitatis hostes, indicere dissolutionem matrimonii ex impotentia superveniente ad matrimonii contractum.

Nonnulli doctores censent Gregorium dispensationem interposuisse, quia agebatur de matrimonio rato, non consummato, cujus vinculum posse a Papa dissolvi, exempla plurima docent. Quoniam nondum in illo perfectus est conjunctionis Christi cum Ecclesia typus, juxta Apostoli doctrinam. Neque incongruum videri debet, si Gregorius hanc dispensationem indulgere sit dignatus ad levamen illius regionis gentis, barbaris institutis enutritæ. Alii interpretantur, locutum esse Gregorium, non quidem de impedimento superveniente ad contractum Matrimonii, sed de cognitione impotentiæ jam existentis ante Matrimonium, acquisita ex tentato usu ejusdem. Ex quo enim compertum est, impotentiam perpetuam fore, liberum remanet alteri conjugi ad alias nuptias convolare, ob nullitatem initi contractus. Monet tamen, ut puellæ subsidium non deneget, quia inter barbaras illas gentes, viduata omni ope, ad Idololatriam, vel gentilitios mores, cum magna pietatis Christianæ jactura, forte revertisset.

Oneratur itidem Gregorius III. quia jussit

ſit baptizatos a Paganis iterum fore baptizandos, inquiens: (1) *Vel qui a Presbitero Jovi mactante, & immolatitias carnes veſcente baptizati ſunt, ut rebaptizentur, præcipimus.*

Sed procul eſt a mente Gregorii III. hujuſmodi error. Illud enim erat ad mentem Bonifacii quærere: An baptiſmus datus a Paganis vel joco, vel ignorata forma, vel non probato, an veram formam protulerint, eſſet nec ne iterandus. Reſpondet Gregorius omnino ita incerte baptizatos baptizari oportere. Nondum enim in Eccleſia inductus fuerat mos baptizandi ſub conditione. Præterea tunc adhuc ſub Judice pendebat, an validum haberetur baptiſma collatum a non baptizato; de qua quæſtione anceps fuit olim D. Auguſtinus dicens: (2) *Et hæc quidem alia quæſtio eſt, utrum & ab iis, qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temere inde affirmandum eſt ſine auctoritate Concilii, quantum tantæ rei ſufficit.* Quapropter mirari non ſubit, ſi Gregorius ex privata ſententia in dubio veritatis nondum eliquatæ tutiorem partem elegerit, mandans baptizatos a Paganis baptizari, ad ſecuritatem fidelium, quod ſapientiſſimi judicii eſt.

Ad alterum expedita ſolutio eſt, oporte-
re

(1) Epiſt. 2. ad Bonif.
(2) l. 2. cont. ep. Parimen. c. 13.

re etiam baptizari eos, qui communicant cum lapsis presbyteris, prævia facti pœnitudine, quum nemini petenti denegandus sit ingressus in Ecclesiam per baptismum. Idcirco simul ibidem docet Gregorius: *Eos etiam qui se dubitant esse baptizatos ... ut baptizentur, præcipimus*.

Cæterum omnibus patet prædicta omnia fuisse confirmata a S. Zacharia successore Gregorii III. qui ad eundem Bonifacium scribens, ait: (1) *Illos autem viros, qui ab hæreticis baptizati sunt, & dubietas tenet, quod in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non sint baptizati, inquisita rei veritate, si ab erroneis Sacerdotibus baptizati sunt, hos sine dubio, juxta prædecessoris nostri bo. mem. Gregorii Papæ, & Sacrorum Canonum, traditum tibi mandatum implere non ommittes, ne in æternum pereant*. Nil validius ad tutamen Gregorii.

Postremo ad errata Stephani III. devenimus, procul dubio probaturi in nihilum decidere. Stephanum III. nuncupamus cum Anastasio, & Baronio, licet aliis placeat illum numerare hujus nominis secundum, excluso Stephano vere secundo, quia triduo tantum supervixit electioni. Hic itaque Stephanus III. dum in Galliis apud Carisiacum convenisset Pippinum Regem, de pluribus interrogatus ad singula respondit,

(1) Ep. x. ad Bonif.

dit, inter quæ duo censura inuruntur. Primum est, respondisse inquirenti, quibus in casibus liceat conjuges separare, nedum thoro, sed etiam Vinculo? Respondisse, inquam, duos casus tantum esse posse, nempe vexationis a dæmone, & lepræ morbi, ad solutionem conjugii sufficientes. Verum ut verba responsi præseferunt, non solutionem vinculi, sed separationem thori, importare contendo. Ita enim lego in responsis a Stephano III. datis: (1) *Si quis se conjugio copulaverit, & uni eorum contigerit, ut debitum reddere non possit, non liceat eos separare, nec pro alia infirmitate, excepto si dæmonii infirmitas, aut lepræ macula supervenerit. Cæterum si ab his duabus infirmitatibus liberi fuerint invicem conjuncti, unus alteri servitium exhibeat.* Unde non alia quam thori separatio colligi potest; maxime si infirmitas superveniat matrimonio consummato, quod omnimodam solubilitatem excludit. Cur vero Pontifex has tantum infirmitates ad separationem recenseat sufficientes; ex contingentia casus, unde quæsitum ortum fuit, oriri debuit. Quod sane demonstrant verba ad nonum quæsitum, ubi itidem de leprosis agitur.

Idem Pontifex ad undecimum quæsitum respondit circa Presbyterum, qui deficiente aqua, in Vino baptizavit infantem, dicens:

(1) tom. 17. Regiæ. edit. c. 2.

cens: *Si in Vino quis, propterea quod aqua non inveniebatur, omnino periclitantem infantem baptizavit, nulla ei adscribitur culpa. Infantes sic permaneant in ipso baptismo. Nam si aqua adfuit præsens, ille Presbyter excommunicetur, & pœnitentiæ submittatur, quia contra Canonum sententiam agere præsumpsit.* Ex ignorantia casus oritur erronea interpretatio. Casus exposcebat, quam censuram meruerit Presbyter, & nihil de infante momenti erat. Igitur dicendum est, casum contigisse, in quo iter agente Presbytero, occurrit infans in extremo periculo constitutus, qui post acceptum baptismum in Vino, alio deportatus est, ignorante Presbytero penitus quis esset, & quonam delatus fuerit. De tali infante dicit Stephanus, permaneat in illo qualicumque baptismo, non quia validus fuerit, sed quia divinæ providentiæ relinquitur vel miraculose illum salvare, ut refertur a Moscho de Judæo in arena baptizato, ob aquæ defectum (si casus revera contigit); (1) vel ad adultam ætatem perducendo puerum, ut per baptismum flaminis a gehennæ periculo eripi possit. Cæterum apud plures eruditos creduntur hæc responsa confuta ex arbitrio fuisse, & maxime præsens, quod abest a pluribus editionibus, & in aliis non Stephano, sed Siricio adscribitur;

quod

(1) In prat. Spirit.

quod mendacii, & puræ putæ calumniæ signum est. Alii tandem mendosum esse textum sentiunt, & restituendum cum conditionali appositione, idest: *Nulla ei adscribitur culpa, si infans permaneat in illo baptismo*. Quis enim tam bardus est, ut credat, Stephanum ignorasse materiam necessariam ad baptismum, quæ neque fugit Clericos infimi subsellii?

§. XVII.

Eugenius II. & Nicolaus I. ab errore purgantur.

SUB Eugenio II. coacta fuit Romana Synodus, in qua plures sanciti sunt Canones ad disciplinam Ecclesiasticam resarciendam accommodatissimi. Ipse Eugenius præfuit, & sancita decreta edixit, inter quæ sub numero trigesimo sexto legitur: *Nulli licere, excepta causa fornicationis, Uxorem relinquere, & deinde aliam copulare*. Permittit ergo Eugenius Vinculi Conjugalis solutionem, interveniente fornicatione alterius conjugis, adversus sententiam Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Ita causantur sensisse Eugenium II. adversarii. Illum tamen defendunt quotquot interpretati sunt textum Matthæi 19. ubi Christus docuit: *Quicum-*

que

que dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur. Prohibetur quidem Uxorem dimittere a jugali consortio, nisi ex causa fornicationis, sed non conceditur aliam ducere, vivente Uxore dimissa, ut explicavit Concilium Forojuliense can. x. juxta ejusdem Christi doctrinam Matthæi 5. expressam: *Omnis qui dimiserit Uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mæchari; & qui dimissam duxerit, adulterat*. Ergo ex sententia Christi non dissolvit vinculum, alias dimissa citra adulterii crimen, posset alteri copulari. Cur autem sola causa fornicationis utrobique proferatur, respondet D. Augustinus: (1) *Credo quia illud quod majus est, hoc dominus commemorare voluit. Majus enim adulterium esse, quis negat Uxore non fornicante dimissa, alteram ducere. quam si fornicantem quis dimiserit, & tunc alteram duxerit: non quia, & hoc adulterium non est, sed quia minus est, ubi fornicante dimissa, altera ducitur*.

Augustinus explicando Evangelicum textum, Eugenium ab errore vindicat, & adversarios confundit.

Consultus Nicolaus I. a Bulgaris per plura quæsita, sapientissime ad singula respondit. Inter cætera offendit responsum datum circa baptismum collatum à quodam viro igno-

(1) l. 1. de adult. conjug. c. 9.

ignoto, de cujus etiam religione omnino obscura erat fama. Offensio autem, quam patiuntur adversarii, est, quia Nicolaus dixit: *Non esse denuo baptizandos, si in nomine Sanctæ Trinitatis, vel etiam in nomine Christi baptizati sunt, ut legimus in actibus Apostolorum. Unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius.* (1) Patet autem formam baptismi in nomine Jesu, exclusa explicita trium Divinarum personarum appellatione, alienam esse a forma constituta ipso Christo docente, adeoque errori esse accensendam.

In animum inducere tamen nequeo, sanctissimum æque ac doctissimum Pontificem, in errorem incidisse circa formam baptismi, de qua jam recepta, & pervulgata erat Patrum traditio Sæculo Ecclesiæ Nono apud omnes, non nisi verbis dominicis In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confici Sacramentum baptismi. Observandum igitur est, responsum Nicolai ad duo se referre; nempe ad actus Apostolorum, ubi dicitur In nomine Jesu Christi plurimos ab Apostolis baptizatos fuisse, & ad auctoritatem Divi Ambrosii, qui dicit unum, idemque esse benedicere in Christo, ac benedicere in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quia nomen unum est, potestas una. Singula explicatione di-

(1) l. 1. de Spirit. S. c. 3.

ſtincta colluſtrantur. Quum in actibus Apoſtolorum dicuntur aliqui baptizati in nomine Jeſu, non proinde eſt intelligendum, dimiſſam, vel omiſſam fuiſſe invocationem Sanctæ Trinitatis; ſed tantum accipiendum eſt perinde ac ſi diceretur, benedicente Jeſu Chriſto, vel præhabita invocatione, ut tantum opus ad optatum finem perducat, baptizati ſunt, ſervata tamen doctrina Chriſti circa materiam, & formam præſcripta Matth. 18. Et ſane: (1) *Quomodo*, inquit S. Cyprianus, *quidam dicunt*, *foris extra Eccleſiam, modo in nomine Jeſu Chriſti ubicunque, & quomodocunque Gentilem baptizatum, remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, cum ipſe Chriſtus Gentes baptizare jubeat in plena, & adunata Trinitate?* Conſonat Cypriano Auguſtinus coarguens Maximinum Arianum, ubi ait: *(2) Si autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in nomine Chriſti juſſi ſunt baptizari* (nempe ab Apoſtolis) *& tamen intelliguntur non baptizati niſi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; cur non ſic audis de filio Dei: Omnia per ipſum facta ſunt, ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum?* Hinc aſſequi poſſumus, Nicolaum tantum voluiſſe, quod quemadmodum dicitur in nomine Trinitatis tingendos

(1) Ep. ad Jubajan.
(2) l. 3. cont. Maximin. c. 17.]

dos esse initiandos ad fidem per baptismum, quin abrogetur expressio singularum personarum ejusdem Trinitatis; ita quum dictum sit baptizandos in nomine Christi, ut legitur in actibus Apostolorum, non est ita accipiendum, ut omittenda credatur forma cum expressione distincta Trinitatis. Ad hunc sensum tantummodo compellat divum Ambrosium dicentem: Unum idemque esse in naturæ identitate personam Verbi Incarnati, cum Patre, & Spiritu Sancto. Perspectum erat doctissimo Pontifici, non nisi ex speciali revelatione potuisse Apostolos baptizare prolato pro forma solo nomine Christi (quatenus opinio hæc facto cohæreat) neque exinde hujusmodi exemplum (1) cæteris favere posse.

§. XVIII.

Stephanus VII. & Sergius III. perperam postulantur de corrupta fidei doctrina.

E Vivis sublato Formoso Romano Pontifice, excepit Ecclesia in vacante Sede Stephanum hujus nominis VII. Hic plura contra electionem Formosi animo volvens, censuit a Catalogo Romanorum Pontificum expungendum illum esse, tanquam hominem ex honoris ambitione, &

(1) D. Th. 3. p. q. 66 art. 6.

contra fas in Pontificatum intrusum, proindeque omnia ejus acta, ut auctoritate vacua, rescindi debere. Coacta igitur Synodo, ex ejusdem sententia, ultra omnium actorum extinctionem, irritas declaravit omnes ordinationes a Formoso factas, singulosque per illum ordinatos, iterato ordinare præsumpsit. De hac violata Sacramentorum regula postulatur Stephanus, tanquam reus.

Ut plene objecto argumento faciam satis, operæ pretium est animadvertere, (ut omnes cuneos adversariorum retundam) præivisse decreto Stephani VII. aliud haud dispar decretum Stephani IV. contra Constantini Antipapæ consecrationem, ejusque ordinationes factas, quas irritas in Synodo coacta edixit, & iterare præcepit. Præcesserat quoque exemplum Hincmari Rhemensis Episcopi, alioquin doctissimi, qui sedente Nicolao I. habita Suessionensi comprovincialium Episcoporum Synodo, decrevit irritas habendas esse omnes ordinationes ab Ebbone præcessore Hincmari factas, utpote ab Episcopatu deposito, ut legitur act. 5. ejusdem Concilii. Horum exempla sectati sunt Patres Synodi Bituricensis habitæ anno 1031. Joanne XVIII. Pontifice, qui Can. 11. statuerunt irritas fore ordinationes Filiorum Presbyteri, servorum, & collibertorum, qui sese clam obtulissent, non perspecta eorum conditione. Tandem, ut alia

missa

missa faciam, in Concilio Lateranensi Oecumenico sub Callisto II. an. 1123. congregato decretum est, omnes ordinationes, quas fecit Burdinus Antipapa, tanquam irritas esse circumscribendas, maxime a die, quo publico Ecclesiæ judicio proscriptus, & damnatus fuerat.

Hæc omnia satis superque demonstrant, nondum eliquatam fuisse in Ecclesia anteactis sæculis quæstionem: an iterari potuissent ordinationes contra Canones celebratæ, necne, & pro utraque parte probabilem opinionem viguisse, ac ad praxim deductam fuisse. Ex quo culpandus non videtur, ex hoc capite, Stephanus VII. si absque alterutrius opinionis definitione ex Cathedra, exempla præcedentia sectatus est.

Non me fugit, alios e contra stare Theologos, qui emollire student verbum, quo irritæ declarantur ordinationes, itaut non vacuæ characteris impressione haberi debeant, sed ut illicitæ ad exercitium ordinis suscepti, & vacuæ honore, & gradu illi debito. Quamobrem nullo modo ex integro opus erat iterare ordinationes, sed tantum prævia quadam cæremoniali consecratione, vel potius benedictione, illos ordinatos in locum suum, & honorem recipere. Descripsit hanc cæremoniam Quartum Concilium Toletanum Can. 28. pro hæreticis, & Schismaticis, qui pœnitentes ad gremium re-

dibant Ecclesiæ. Favet præsenti interpretationi Sigebertus in Chronico ad an. 930. ubi de Theodoro Papa loquens, narrat: *Theodorus Romanæ Ecclesiæ CXV. præsidet. Hic contra Stephanum Papam sentiens, reconciliavit ordinatos a Formoso, quos Stephanus per vim Romæ intus, non foris exordinaverat, nec tamen præsumpserat eos iterum consecrare.* (1) Constat quoque ex ep. Urbani II. ad Lucium Præpositum, in qua ait: *Cæterum Schismaticorum, & hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta SS. Patrum traditionem, scilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi vel eorum Sacramentis initiati, per manus impositionem ad Catholicam redeunt unitatem.*

Neque propterea Scriptores causantur Stephanum VII. ut doctrinæ fidei corruptorem per iteratas ordinationes (si fecit) quia non definiendo ex Cathedra, sed nimis indulgendo suo excandescenti animo illas inique abrogatas voluit, extorquendo a congregata Synodo, per omnem conatum, irregulare suffragium, teste Auxilio Formosi defensore, & (2) Luitprando scriptore coævo.

Ideo-

(1) Ep. 17.

(2) L. 1. & ep. ad Leonem Episc. Nolan. de ordin. Formosi l. 1. c 8.

Ideoque peccatum Stephani nuncupant errorem converſationis, neutiquam prædicationis, utpote ad ſingularem caſum reſtrictum. *Sed judicium rerum geſtarum erat, non religionis, fideique decretum*, inquit Cano. de loc.Theol.l.5.c.5. Utraque ſolutio integram ſervat Pontificiam infallibilitatem.

Lugendam cogor proſequi tragœdiam de Formoſo Pontifice pertractus ab adverſariis, qui Sergium III. in jus vocant, quia Stephani acta contra Formoſum, jam reſciſſa, deleta, & igne combuſta a Romano, Theodoro, Joanne IX. Romanis Pontificibus, auſus eſt reintegrare, iterumque Formoſi acta reſcindere, ejuſque ordinationes irritas promulgare. Re igitur, & opere Sergius in errorem Stephani impegit, & eo graviorem, quo a tot Sanctiſſimis prædeceſſoribus abunde fuerat edoctus. Sed quid hæc facinora cum infallibilitate judicii ex Cathedra? Eadem reſpondeo, quæ de Stephano VII. dicta ſunt, & quæ piget repetere.

§. XIX.

Notæ in reſcripta nonnullorum Romanorum Pontificum diſſlantur.

SAtius eſſet prætermittere, quam operam ludere in objectionibus ab adverſariis importune eductis ex Pontificiis reſcriptis, quæ variabilem negotiorum molem

respiciunt, omnino alienam ab infallibili judicio ex Cathedra, de quo institutum præsens procedit. Verum quia heterodoxis placet, etiam in his levissimi momenti Romanos Pontifices traducere, ab impactis criminationibus vindicare non omittam.

Ex rescripto Alexandri III. Salernitano Episcopo, relato cap. (1) *licet præter solitum*, colligunt adversarii, a quibusdam Romanis Pontificibus contra indissolubilitatem Matrimonii judicatum fuisse dicendo, Matrimonium ratum cum una celebratum solvi posse per posterius Matrimonium cum altera initum, & consummatum. Petente igitur Episcopo Salernitano quid juris esset in hoc casu, respondit Alexand. III. digna Pontifice sententia: *Quod si inter virum, & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quidem quod unus alterum in suum mutuo consensu verbis consuetis expresso, recipiat... non licet mulieri alii nubere; & si nusperit, etiam si carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, & ut ad primum redeat, Ecclesiastica districtione compelli. Quamvis aliter a quibusdam prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum*. Itaque subinferunt adversarii aliquos Romanos Pontifices, teste Alexandro III. legem divinam de indissolubilitate Matrimonii admisso errore violasse.

Si consulamus juris Canonici peritos, latet

(1) L. 4. decret. tit. 4. de Sponsa duorum cap. 3.

tet omnino, a quo vel quibus latum fuerit judicium adversus indissolubilitatem Matrimonii; & mirum est, nullam hujusmodi judicii mentionem extare in aliqua saltem pervetusta Canonum collectione. Propterea conjectare licet, Verba Alexandri ex suggestione consulentis Episcopi fuisse adjecta. Proclive enim est, quod Episcopus ex falso rumore obreptus scripserit, a quibusdam Romanis Pontificibus rescriptum fuisse in favorem posterioris Matrimonii consummati. Quibus suggestionibus rescribens Alexander, respondit, sententiam suam omnino prævalere debere, etiam si aliter a prædecessoribus suis judicatum fuerit. Neque temere id dictum affero, quia ex Gonzalez constat eo tempore abusum invaluisse Mutinæ, in Anglia, aliisque provinciis dissolvendi Matrimonium ratum per Matrimonium subsecutum cum copula. Qui ergo fieri non potuit, ut ad obducendam excusationem in peccatis, falsum rumorem sparserint, in id conspirasse alicujus Romani Pontificis sententiam? Addi etiam potest, ex ignorantia errorem populi obrepere potuisse; quia, quum ex cap. *sicut ex literis de sponsal.* sancitum fuerit fæminas uni desponsatas, alteri nubere non prohiberi, ad Matrimonium ratum inscite hanc legem transtulerunt.

Cæterum cavendum esse existimo a cen-

suris

furis inurendis Pontificiis rescriptis, quia ex singularitate casuum inferri nequit eamdem doctrinam ubique valere. Sit exemplum. Alexander III. juste improbat Matrimonium consummatum, adjecta tamen conditione, si præcesserit cum altera Matrimonium ratum, conceptis verbis explicantibus mutuum consensum, initum. Itaque si alter casus proponatur, non verificata hac conditione, opposita erumpet resolutio. Cætera patebunt per solutionem sequentis argumenti.

In secunda collectione juris Canonici legitur quoddam rescriptum Cælestini III. sub *cap. de convers. infidelium* in hæc verba: *Idem siquidem juris sequenti casu, quem proponere studuisti, esset cum Christiano viro, propter odium uxoris, Christum negante, & sibi copulante paganam, & ex ea filios procreante, Christiana in obrobrium Jesu Christi relicta est; tamen assensu Archidiaconi sui ad secundas nuptias convolavit, & filios suscepit ex ipso: non enim videtur nobis, quod si prior Maritus redeat ad unitatem Ecclesiasticam, eadem a secundo debeat recedere.*

In consimili casu de viro labente in hæresim, rescripsit Urbanus III. cap. *de illa de divort. Videtur nobis quod si mulier ab eo, ea dumtaxat intentione discessit, ut lapsus in hæresim tædio pariter, & confusione affectus, se ab errore suo converterat, ei cum re-*

reversus fuerit, reddenda est . . . . si vero judicio Ecclesiæ ab eo sine spe Matrimonii redintegrandi recessit, ad recipiendum illum nullatenus dicimus compellendam. Postmodum Innocentius III. rescribens Episcopo Ferrariensi, ut habetur cap. *Quanto de divort.* utrumque rescriptum, nempe & Cælestini, & Urbani correxit dicens: *Licet quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur*. Ergo, clamitant adversarii, errarunt nominati Pontifices, & se invicem corrigunt.

Singulos textus opus erat exponere, ut se ipsa perspicue flueret solutio. Nonne Cælestinus, & Urbanus suam proferunt opinionem per verba: *Videtur nobis*? Nonne hæc verba sonant privatam proferentis opinionem, quæ cum mutabilitate judicii compatitur, vel alterius Pontificis reformationem admittit? Itaque nihil contra infallibilitatem Pontificiam hujusmodi rescripta evincunt. Sive erret, sive non erret Pontifex in privatis opinionibus, ad quæstionem nostram non pertinet, qui loquimur de judicio ex Cathedra, quod certe non profertur per verba: *Videtur nobis*.

Contra rescripta Alexandri III. iterum Censores adversi reclamant, quia cap. *Cum esses, de Testament.* improbat testamenta, quæ secundum invectam consuetudinem, sub pœna rescissionis, non fuerint vallata per

sub-

subscriptionem quinque, vel septem testium; *quia*, ait Pontifex, *a divina lege, & Sanctorum Patrum statutis, & a generali Ecclesiæ consuetudine id esse noscitur alienum, cum scriptum sit: In ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*. Ubinam, ajunt, est violare jus divinum, si adversus insurgentes fraudes majorem numerum testium producere contigerit?

Casus poscebat remedium, quia Veliterni omnia testamenta penitus rescindebantur, nisi quinque vel septem testes adfuissent subscribentes: ex quo pauperes, causæ piæ, Clerici, in infinitum angebantur. Statuit proinde Alexander III. duos, vel tres testes sufficere ad testamenti validitatem, producta ratione, non pro causa dispositionis, sed veluti pro exemplo, ac si diceret. Si juxta jus divinum, quod laudant Sancti Patres, & Ecclesia exequitur firmitate consuetudinis, duo vel tres sufficiunt testes ad probationem verborum, cur adeo ab his aliena est consuetudo Veliternensis, ut rescissioni tradantur testamenta a pluralitate majori testium minime probata? Ubi, ut apparet, nullus error corrigendus occurrit, neque castigandum censeri debet Alexandri III. rescriptum.

§. XX.

§. XX.

Errores adversus Innocentii III. & Bonifacii VIII. constituta intentati rejiciuntur.

AD Innocentium III. perducimur, in omni facultate peritissimum, rerum humanarum, divinarumque cognitione egregie præditum Pontificem. Quapropter quilibet sani consilii majus scelus esse suspicabitur, in ejus scriptis errorem cogitare, quam affingere. Ad tollendam igitur mussitandi occasionem adversus Pontificiam infallibilitatem omnes scrupuli proferantur in medium. Postulabat enixe Innocentium III. Philippus Rex Francorum, ut nullitatem sui matrimonii cum Isemburge Regina pronuntiaret, & libertatem ei permitteret transeundi ad secunda vota cum Maria superinducta muliere. Obtendebat pro causa petitę dissolutionis, nunquam fuisse inter ipsos consummatum matrimonium, quod tamen constanter negabat Regina, & suo juramento firmabat. Respondit Pontifex: (1) *Non auderemus super hujusmodi casu de nostro sensu pro te aliquid diffinire, propter illam sententiam evangelicam, quam ipse Christus expressit: Quod Deus*

(1) lib. 3. Epist. 106. regest. 15.

Deus conjunxit, homo non separet: Cum absque dubio, nec Sanctorum exempla, nec Patrum decreta, intentioni tuæ in hoc articulo suffragentur. Verum si super hoc absque Generali deliberatione Concilii determinare tentaremus, præter divinam offensam, & mundanam infamiam, quam ex eo possumus incurrere, forsan ordinis, & officii nobis periculum immineret; cum contra præmissam veritatis sententiam, nostra non possit auctoritas dispensare. De sua igitur Pontificia infallibilitate dubitabat Innocentius.

Prudentissimi æque ac doctissimi Pontificis munus egit Innocentius. Doctrinam inconcussam de indissolubili conjugio dixit. Repulsam prudenti lenivit remedio, obtendendo, & sui muneris, & suæ famæ periculum, & universalis Concilii necessariam convocationem, ut in tanto negotio ingentibus difficultatibus circumsepto maturius postulatio Regis insanis amoribus irretiti judicaretur. Quomodo in hac responsione depereat Pontificia infallibilitas, penitus ignoro. Scite dixit Innocentius non posse contra evangelicam sententiam definire. Cætera ad ornatum responsionis, non ad dubietatem suæ infallibilitatis sunt addita.

Item Innocentii III. exagitatur doctrina, quia rescripsisse dicitur ad Monachos Cistercienses: *Confessionem esse prodendam, quia potius est blasphemia, quam confessio;*

nec

nec debet Confessor tantam blasphemiam, ac insaniam celare, per quam periculum toti Ecclesiæ poterit incumbere. Exquirebant Monachi, an fictus pœnitens accedens ad Confessarium, ut eum in patrocinium criminis deducat, subinde repulsus possit sub specie inviolabilis sigilli deterrere confessarium, ne prodat sacrilegum. In quo casu quis ita desipiet, defendendo, adfuisse confessionem sacramentalem inseparabilem ab inviolabili secreto?

Erraffe Bonifacium VIII. ebuccinant adversarii, quum edita Constitutione *Unam Sanctam*, edixerit, omnia Regna mundi subesse in temporalibus Romano Pontifici. Quod adeo erroneum autumant, ut successor Clemens V. justum duxerit præfatam Constitutionem abrogare, & ut novitatis commentum abjicere.

Objectio hæc undique mendaciis scatet. Constitutio *UnamSanctam* adhuc perennis viget in sexto decretalium, nullo notata errore, in iis, quæ ad dispositivam pertinent, nullo stigmate inusta. Clemens V. per *extravagantem*, ut habetur in cap. *Meruit*, tit. *de Privilegiis*, duntaxat declaravit, per laudatam Constitutionem Bonifacii VIII. *Unam Sanctam*, nullum præjudicium generari Regi, & regno Gallicano, neque plus subjectos esse Romanæ Ecclesiæ, quam antea existebant, in temporalibus sci-

ſcilicet. Cæterum inconcuſſa, & immobilis ſtat definitio Bonifacii: *de neceſſitate ſalutis eſt omnes Chriſti fideles Romano Pontifici ſubeſſe*. Intelligenti vim inſitam veritati, nempe quod ſemper fuit (ſaltem in æternitate) ſemper eſt, & ſemper erit, cujuſmodi ſunt articuli ad fidem ſpectantes; nil novum neque corrigendum ſuggeret declaratio, qua promitur nihil ſtatui de recenti, quod antiqua non polleret veritate, ſive in jure hoc ſit, ſive in facto, de quo non quærebatur. Omnibus enim patet, quod per definitionem nihil aliud evenit, niſi quod verum prius abſconditum, definitione fit manifeſtum, & obedientia probatum. Sed ſemper fuit, eſt, & erit inconcuſſe, & irrevocabiliter verum.

§. XXI.

Objecta Nicolao III. & Joanni XXII. profligantur.

UT immoderata animorum ſtudia hinc inde pugnantia circa arctiſſimam paupertatem a S.Franciſco ordini ſuo Minorum demandatam in regula, non obruerent Religionis incrementum, & ſanctimoniam, Nicolaus III. edidit Conſtitutionem incipientem (1) *Exiit qui ſeminat*,

(1) Rel. tit. de Verb. Signif. in 6.

nat, in qua duo potiſſime edixit. Primum eſt: *dicimus*, inquit, *quod abdicatio proprietatis rerum omnium non tam in ſpeciali, quam etiam in communi propter Deum meritoria eſt, & ſancta, quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens, verbo docuit, & exemplo firmavit*. Alterum eſt: Quod reſervato Sedi Apoſtolicæ quocumque dominio, & Juris uſu, dixit Nicolaus, permitti tantum fratribus Minoribus uſum facti. *Qui, inquam, uſus, non juris, ſed facti tantummodo nomen habens, quod facti tantum, in utendo præbet utentibus, nihil juris... Ne talium rerum ſub incerto videatur eſſe dominium... in nos, & Romanam Eccleſiam plene, & libere pertinere, hac præſenti conſtitutione in perpetuum valitura ſancimus*. Hæc decrevit Nicolaus III.

Nequitia nonnullorum peſſime audita eſt Nicolai prædicta declaratio, quia peſſundato cujuſcumque pudoris repagulo uſque ad ſchiſma, & hæreſim erumpere auſi fuere, prædicando, & proclamando omnimodam paupertatem cum abdicatione totali dominii, & uſus juris, eſſe illam paupertatem evangelicam, quam Chriſtus, & Apoſtoli ſectati ſunt, adeoque ad jus divinum ſtrictiſſime pertinere per quemcunque ſuperiorem etiam Romanum Pontificem indiſpenſabile. Quibus alias hæreſes addere, & evomere non erubuerunt. Ad retundendam

igitur propudiosam hanc pervicaciam, Joannes XXI. vel, ut communiter nuncupatur, XXII. suam decretalem condidit, in qua minime probans posse dari simplicem usum facti absque jure utendi, decernit: (1) *Quod non justus esset actus utendi hujusmodi reputandus, cum ille usus fuerit, cui jus non competebat utendi*... & ideo *de Fratrum nostrorum consilio hoc edicto in perpetuum valituro sancimus; quod in bonis, quae inposterum conferrentur, vel offerrentur, vel alias quomodo libet obvenire continget fratribus* (quae scilicet usu consumuntur) *seu ordini... nullum jus seu dominium aliquod occasione ordinationis praedictae, seu cujusvis alterius a quocunque Praedecessorum nostrorum super hoc specialiter editae, Romanae Ecclesiae acquiratur, sed quo ad hoc habeantur prorsus ordinationes hujusmodi pro non factis*. Restituitque dominium earum rerum fratribus, abdicato penitus illo, quod Nicolaus III. Ecclesiae Romanae attribuerat.

Quo vero ad paupertatem Christi, & Apostolorum, per alteram decretalem incipientem *Cum inter nonnullos*, Joannes XXII. in haec verba sancivit: *Cum inter nonnullos viros scholasticos saepe contingat in dubium revocare: Utrum pertinaciter affirmare*

(1) tit. de Verb. Signif. extra ad Conditorem in 6.

re Redemptorem nostrum... ejusque Apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi, etiam hæreticum sit censendum, diversa, & adversa etiam sentientibus circa illud: Nos huic concertationi finem imponere cupientes... de Fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto; nempe erroneum esse, & hæreticum, dicere Christum Dominum ejusque Apostolos non habuisse neque in communi, neque in speciali verum dominium super omnibus sibi spectantibus, utpote assertum Sacræ Scripturæ contrarium, & doctrinæ Catholicæ inimicum.

Hæc pugnantia inter se decantant adversarii, qui vel Nicolao III. vel Joanni XXII. apertissimam erroris maculam imputant. Longe tamen falluntur. Nicolaus III. dixit; Christum Dominum verbo, & exemplo docuisse abdicationem omnium rerum, cum ait Apostolis: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Matth. x. Exemplo quoque id probavit Christus, de se ipso dicens: *Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet. Matth.* 8. *Et sequebantur eum mulieres, quæ ministrabant ei de facultatibus suis*, ut legitur Lucæ 8. Quibus perpensis laudat Nicolaus illos, qui abdicato omnium rerum dominio hanc sibi vivendi formam asciscunt. Ceterum identidem approbat Chri-

ſtum etiam cum ſuis Apoſtolis loculos habuiſſe, ut utroque vivendi modo exemplum præberet, ad perfectionis gradum aſcendendi. Quia vero novatores impudentiſſimi uſque ad hæreſim auſi fuerant Nicolai declarationem pertrahere; Idcirco Joannes, ut tantæ nequitiæ os obſtrueret, definitione firmavit, Chriſtum, & Apoſtolos habuiſſe verum dominium, & non tantum merum uſum rerum, quibus utebantur, ut blaterabant rebelles. Definitio ergo Joannis nec in apice pugnat cum Nicolai decretali.

Quod ſpectat ad alteram partem, ſerio penſanda eſt Nicolai ſententia, qua duo declarat: nempe exactiſſimam paupertatem eſſe, ſi omnimodum dominium foret abdicatum, uno tantum relicto uſu facti, non juris; quapropter translato in Eccleſiam Romanam prædicto dominio, ſanxit, nil aliud fratribus competere, quam purum facti uſum: Quod quidem variabilis diſciplinæ regula fuit. Exorta deinde præfata Novatorum exitiali concertatione, Joanni fas fuit, iterum abdicare dominium Eccleſiæ reſervatum, illudque fratribus reſtituere, prout moris eſt eorum, quæ ad puram diſciplinam, non autem ad dogma, vel ad fidem pertinent. Ubi autem Joannes a Nicolao diſſidet in allata Moralis, & Juris prudentiæ quæſtione; cum ſeparabile ſit dominium ab uſu in iis, quæ uſu conſum-

mun-

muntur; neuter Pontifex ex Cathedra locutus est, neque materia est, quæ fidem respiciat. Quid enim prohibet, citra infallibilitatis jacturam, rationem ex propria opinione producere, quæ alteri Pontifici non arrideat? Ecquis est, qui etiam in opinionibus Philosophicis, vel ethices, vel juris prudentiæ, infallibiles velit Romanos Pontifices? Vel quod definitiones ex Cathedra ab his principiis deriventur? Horum bene conscius Joannes XXII. decretalem prædecessoris vocavit. *Ordinationem*, ut ex nomine quisque comprehenderet, sanctionem puræ disciplinæ fuisse, non fidei.

Ad pleniorem hujus argumenti, & consimilium solutionem præstat ex doctissimo Melchiore Cano monere, nempe I. non omnes decretales vim judicii irrefragabilis obtinere, (1) *quarum nonnullas constat a posterioribus meliore consilio refutatas; quoniam non ex firmo decreto, sed ex Pontificum opinione prodierunt*. Ut contigit etiam in Conciliis generalibus circa ea, quæ disciplinam respiciunt. II. (2) distinguere necesse esse in decretis, id quod est intentio, conclusioque decreti, & id quod promitur quasi ratio, & causa reddita a Pontifice ejus rei, quam constituit, In illis enim, quæ in Conclusione statuuntur, si fidei quæ-

I 3 stio

(1) de loc. Theol. l. 5. c. 5.
(2) Cano ib. l. 6. c. 8. ad 4. arg.



ltio decernatur, pro constanti tenendum est, Pontificem errare non posse. Verum in ratione, vel causa expendenda, an apta sit, probabilis, vel idonea, non est plurimum immorandum, quia ex privata opinione sæpe proceditur. III. Quandoque contingere inter rationes, & causas produci testimonia ex Sacra Scriptura petita, quæ tamen vim non faciunt ad Conclusionem decreti inferendam; vel quia hujusmodi causæ non sunt necessariæ, sed tantum verosimiles, vel quia ex privata interpretatione, aut ex sensu accommodatitio, aut argumentatione a simili promuntur. *Extat*, inquit Cano, *Synodus, ubi de perpetua Mariæ virginitate pronuntiatum est, illud quod in ea re suadenda referunt Patres: Portam Ezechielis clausam*. Hujusmodi enim rationes, & causæ afferantur, ut suadeant, non autem, ut cogant. *Nam licet non sint necessariæ, non sunt tamen prorsus ineptæ. Quod si etiam Pontifices in hujusmodi ponendis causis, quandoque falluntur, ne calumniandi sunt quidem, tantum abest, ut inde loci hujus auctoritas infirmetur*, & infallibilitas judicii ex Cathedra vel leviter concidat.

Alio erroris convicio proscindunt adversarii Joannem eundem XXII. contendentes fovisse, & docuisse, animas justorum usque ad diem judicii passuras privationem visionis beatificæ, quod errantis judicii prorsus

sus argumentum est. Sed mendaciter profertur historia. A nemine quippe fide digno auctore hucusque proditum est, Joannem XXII. docuisse, & definivisse ex Cathedra præcitatum errorem. Imo pluribus authenticis documentis probat (1) Odoricus Raynaldus, in eam quidem opinionem Joannem propendisse, ut pote nondum finali judicio expunctam, sed nunquam ad decretoriam devenisse sententiam. Legenti diploma a Benedicto XII. de hac re editum, quod incipit (2) *Benedictus Deus*, compertum fiet, quantum hallucinati sint nonnulli scriptores, qui ementitis imbuti rumoribus falsa pro veris venditare præsumpserunt. Porro si opinioni nondum eliquatæ plus faverit Joannes, quam par erat: Si proprio nimis indulsit sensui, humanitati, non Pontificatui culpa est adscribenda, uti declarare ipse curavit in frequenti Consistorio publico, & in mortis articulo, de quibus ipse Benedictus successor est locupletissimus testis.

Non abs re erit adjicere, Joannem XXII. quum debuit, ut Pontificem decebat, loqui, conceptis verbis professum esse, nunc reseratam esse Sanctorum communioni beatitudinem in Cælesti patria, ut legere est in diplomatibus Canonizationis Sanctorum Thomæ Aquinatis, Ludovici Tholosa-

(1) ad an. 1333. & 1334.
(2) Tom. . Bull. Rom.

ni Episcopi, & Thomæ Herfordiensis Antistitis, quæ plene comprobant, solutam fuisse ejus mentem ab illa dubietate, quæ solet errantes pertinaciter concutere. De his hactenus.

§. XXII.

Clementis VI. Urbani V. & Gregorii XI. protestationes minime pugnantes cum Pontificia infallibilitate probantur.

QUum jam ad limen mortis accederet Clemens VI. ab ignorantiæ culpis se expedire cupiens, solenni diplomate revocavit, quidquid errore comite adversus veritatis apicem contigisset se esse proloquutum. Verba sunt: *Si qua dudum in minoribus constituti & postquam ad fastigium Apostolicæ dignitatis divina bonitas dignanter potius, quam digne provexit; nos disputando, legendo, prædicando, aut alias contra Catholicam veritatem, & fidem, vel bonos mores, ex lapsu linguæ præcipitanter forte protulimus, revocamus, & volumus pro revocatis haberi: & ea omnia Sedis Apostolicæ auctoritati submittimus, & supponimus corrigenda*. Tanto, ut ajunt adversarii, ac tam illustri testimonio, subjiciunt aliud haud inferioris momenti ejusdem Pontificis, qui sibi conscius propriæ fallibilitatis in Sancto-

rum

rum Canonizatione, satagebat *Populum inducere ad orandum pro eo, quod Deus non permitteret eum errare in hoc negotio, ut moris erat illius temporis.*

Liceat mihi paululum ab argumento excurrere, ut mentem Clementis VI. circa Pontificiam infallibilitatem certo certius rescire valeamus. Ipse summo propagandæ religionis studio intentus, literas dedit (1) ad Consolatorem Armenorum Catholicum, in quibus, expositis Romanæ Ecclesiæ Canonibus, explicatiorem Armenorum fidei professionem exigere curavit. Inter illos legere est decimum tertium in hæc verba: *Si credidisti, & adhuc credis solum Romanum Pontificem, dubiis emergentibus circa fidem Catholicam, posse per determinationem authenticam, cui sit inviolabiliter adhærendum, finem imponere: Et esse verum, & Catholicum quidquid ipse auctoritate Clavium sibi traditarum a Christo determinat esse verum, & quod determinat esse falsum, & hæreticum, sit censendum.*

Utrumque testimonium Clementis VI. conferatur ad invicem; dimissaque animi affectione expendatur: etenim constabit, toto ostio proculdubio aberraturum, qui Pontificem hunc infallibilitatis osorem suspicari audebit. Ecquis ferre potest, audire Clementem, in humilitatis studium offi-

(1) Raynal. ad an. 1346.

ficiosum culpas ignorantiæ, vel erroris deflentem, sive legendo, sive disputando, sive prædicando commissas, prout hominis infirmitati accidit; statimque ut Pontificem ex Cathedra docentem fallibilitatis suæ accusatorem, simul, & reum expostulare: Ubi vero ad fidei amussim exposcit infallibilitatis Pontificiæ confessionem, irridere, & subsannare, perinde si strophas venditare studuerit? Coarguitur si preces fundere curaverit, ne in canonizatione Sanctorum errore aliquo munus suum perverteretur, perinde ac timore errandi se concussum esse significaret, quin advertere placeat, plura in facto humanæ testificationis occurrere posse, quæ prævie ad sententiam valeant veritatem obruere? Nonne Sacerdos prævie ad panis, & vini consecrationem continuo orat pro mirabili transubstantiatione, licet probe sciat verbis divinis infallibiliter omnia compleri? Et culpæ fallibilitatis tribuendum erit, quum Clemens VI. & ordo Romanus supplicationes indicunt ad avertendum errandi periculum a tota serie Canonizationis Sanctorum? Primo exclamant adversarii fundendas esse preces, antequam Pontifex ad definitiones fidei deveniat; postremo si preces indicuntur ante Sanctorum canonizationem, ad significandam fallibilitatem judicii illas pertrahunt. Quis hæc pugnantia conciliabit?

Re-

Reponunt alii, professionem fidei indictam Armenis a Clemente VI. explicatione indigere; nempe illud esse Catholicum, & verum censendum, quod summus Pontifex ex Cathedra, hoc est accedente Ecclesiæ consensu, determinat esse verum. Inepta interpretatio, quam ipse textus excludit, ipse Clemens rejicit, & a qua ipsa veritas abhorret! Armenis pro regula Fidei, quam profiterentur, assignat Clemens VI. ore, & corde fas esse credere, verum esse, quod determinat summus Pontifex esse verum, & e contra esse falsum, quod Summus Pontifex determinat esse falsum, & hæreticum. Quis recte concipere poterit, in his verbis includi, *accedente Ecclesiæ consensu*? Nonne futilem regulam fidei tradidisset Pontifex, reticendo conditionem qua fides inconcussa redditur? Legere textum, est futilem glossam abjicere. Porro ipse Clemens, olim Petrus Rogerii, fuerat doctor Theologus Parisiensis. Vel ergo suo tempore præfata Conclusio de infallibilitate Pontificia inter Theologos Parisienses versabatur, vel non. Si horum erat altum silentium, ipsa novitas exsufflat probabilitatem. Si vigebat disceptatio, Clemens aliter docendo, novitiam opinionem explosit. Tandem ipsa veritas oppositum demonstrat, quia quum Summus Pontifex sit Magister, & doctor universæ ecclesiæ, & ipse docendo omni-

omnibus loquatur, & Universa Ecclesia audiat, & discat, nihilque illa pronuntiet. cui unquam fides populorum firmiter inniti debebit? Si dicas; & loquenti, & silenti. En Babelis confusio. En fides in incertum vaga, donec ad Armenorum aures perveniat totius occidentis silentium, & per silentium tacitus assensus. En fides vana, & pendula, ac tandem irridenda!

Ad Urbanum V. transeamus, qui in mortis articulo professus est: *Se tenere, & credere firmiter quicquid Sancta Catholica, & Apostolica tenet, & docet, & prædicat Ecclesia: & si per prius docendo, legendo, prædicando, aut disputando, vel alias, aliud quovis modo prædicaverat, vel dixerat, totum id revocavit voluitque haberi pro non dicto; submittens se, & dicta sua hujusmodi correctioni, & determinationi dictæ Sanctæ Matris Ecclesiæ, a qua asseruit se nunquam deviasse scienter*. (1) Ita de Urbano V. refert Scriptor coævus in ejus vita.

Fuit Urbanus V. Ordinis Benedictini alumnus, doctrina, ac pietate illustris. Definitorum ex Cathedra pęnitere non potuit, neque de sua infallibilitate dubius esse, quum nullam constitutionem dogmaticam revocaverit, vel judicium de fide reformaverit. Igitur ex humilitatis studio de dictis, & doctri-

(1) Raynald. ad an. 1370.

ctrinis privatim traditis intelligitur locutus, & protestatus. Quid ad nos? Nunquid dicimus Pontifices impeccabiles Verbo, cogitatione, & opere? Se ipsos irridendos præbent, qui hujusmodi argumenta exhibent.

Neque multum discrepat a præjactis exemplis, illud Gregorii XI. qui condito Testamento, ita supremam suam voluntatem aperuit: *Item volumus, dicimus, & protestamur ex nostra certa conscientia, quod si in Consistorio, aut in Conciliis, vel sermonibus, vel collationibus publicis, vel privatis, ex lapsu linguæ, aut alias ex aliqua turbatione, vel etiam lætitia inordinata, aut præsentia magnatum, ad eorum forsitan complacentiam, seu ex aliquali distemperantia, vel inadvertentia, aut superfluitate, aliqua dixerimus erronea contra Catholicam fidem . . . seu forsitan adhærendo aliquorum opinionibus contrariis fidei Catholicæ scienter, quod non credimus, vel etiam ignoranter, aut dando favorem aliquibus contra Catholicam Religionem obsequentibus, illa expresse, & specialiter revocamus, detestamur, & habere volumus pro non dicto.*

Fateor hujus vim argumenti probi hominis captum excedere. Argumentum ita ab adversariis construitur. Gregorius Pontifex professus est, se agnoscere errori etiam circa fidem obnoxium, igitur fassus est infallibilitatis privilegii se fuisse expertem, nullo

acce-

accedente Ecclesiæ consensu. Hoc præmisso: Fingamus, omnes Episcopos, qui in Concilio Tridentino sederunt, eandem prorsus protestationem Gregorii, uti non est creditu difficile, in mortis periculo conceptis verbis emisisse. Licebit itaque pariformiter inferre, omnes illos Patres infallibilitate judicii caruisse in ipso Concilio, nisi consensus Ecclesiæ accedat? Sub simili forma quilibet Sacerdos Sacramento dicat, non posse quidquam patrare miraculi. Licebit igitur Calvino deducere: ergo nequit Sacerdos transubstantiationem efficere? Viden argumenti fallaciam? A restricto sensu errandi, ut homo est infirmitate circumdatus, ad ampliorem errandi etiam, ut Pontifex docens ex Cathedra arguitur, qui arguendi modus ab omnibus Philosophis exsibilatur.

§. XXIII.

Alii Romani Pontifices a labe fallibilitatis vindicantur.

IN historia rerum Mediolanensium, Bernardinus Corius refert, Bonifacium Nonum summum Pontificem largitum fuisse pro ditione Vicecomitum indulgentiam, qua unusquisque, quibusdam collatis eleemosinis in pauperum levamen, absolutus a quocumque peccato existeret; etiam si nec con-

confessus, nec contritus ea defleret. Insipida plane fabella hausta a viro in Theologia hospite! Indulgentiæ non ad culpam, sed ad pœnam tollendam conceduntur. Ignorantiæ adeo crassæ notam tempore Bonifacii IX. Curiæ Romanæ imputare, intolerabilis stupiditatis est vitium. Procul dubio ex deceptione peccavit Corius; siquidem si qua fuit indulgentia concessa, ad reatum pœnæ elevandum tantum extensa intelligi debuit. Quum autem pœnarum duplex sit genus, nempe aliud erga Ecclesiam pœnas Canonicas inferentem; aliud erga Deum pœnis condignis ulciscentem peccata; potuit Pontifex pœnas illas Canonicas in alia pia opera commutare; quemadmodum ex Jure Canonico discimus, posse Ecclesiasticum Judicem etiam invitos a censuris absolvere.

Eadem audacia aggrediuntur adversarii Sanctum Cœlestinum hujus nominis V. quia in concessa indulgentia Ecclesiæ Aquilanæ, ubi primo Pontificia cinctus fuit Thiara, (1) expressit, se a baptismo absolvere a culpa, & a pœna omnes, qui vere pœnitentes, vel contriti oraturi accederent in die decollationis Sancti Joannis ad præfatam Ecclesiam. Neque animadvertunt hujusmodi censores, absolutionem subsequi ad favendum iis, qui vere pœnitentes, vel contriti

(1) Raynald. ad An. 1294.

triti omnem labem culpæ expiaverint. Propterea non nisi reatum pœnæ respicit, qui ut effectus culpæ, quandoque etiam culpa dicitur, quæ culpa non est amplius.

Testem subinde advocant fallibilitatis Pontificiæ Hadrianum hujus nominis VI. qui quum munus doctoris Lovaniensis ageret, scripsit commentaria in libros Sententiarum, & ad Pontificatum evectus publica luce donavit. In his commentariis ita locutus est: (1) *Ad 2. De facto Gregorii dico: Quod si per Ecclesiam Romanam intelligatur caput ejus, puta Pontifex, certum est, quod possit errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem, aut decretalem asserendo*. Hæc Hadrianus Florentii doctor Lovaniensis, neutiquam Hadrianus VI. Pontifex maximus, etsi in Pontificatu Commentaria edere curaverit. Instauro itaque doctrinam sapientissimi Magistri Cano superius indicatam: (2) *Error itaque*, inquit, *personalis, privatus est cujusque. Edidit Innocentius IV. in primum librum decretalium Commentaria. Si in his quicquam errati est, hominis nimirum est, non Pontificis, quamvis ea commentaria a Pontifice edita sint. At si idem Innocentius in judicio de fidei quæstione deffiniret quidpiam, quod revera falsum esset,* jam

(1) in 4. Sent. q. de Confirm. 9.
(2) de loc. Theol. l. 6. c. 8.

jam hic error a publico Ecclesiæ censore proficisceretur, essetque proinde judicialis. An Hadrianus, an alii Romani Pontifices in suo privato sensu abundare potuerint, non moror. Sed an erraverint definiendo res fidei ex Cathedra, ut quæstio postulat, constanter pernego. Ipse quoque Hadrianus VI. abjecit Pontifex factus illam opinionem, quam mordicus in Schola Lovaniensi docuerat, nempe non potuisse Sanctum Gregorium Magnum dispensare cum simplicibus Sacerdotibus Siculis, ut confirmationis Sacramentum conferrent. Attamen ipse non semel Missionem in partibus infidelium agentibus eandem facultatem concessit. Quamobrem si novis curis priscas lucubrationes ad lydium lapidem revocavisset, antequam eas typis demandasset, certo certius opinionem de fallibilitate Pontificia expunxisset, eliminasset, retractasset. Ut ut est, firmiori nitimur fundamento vindicantes Pontificiam infallibilitatem, quam Hadrianus Florentii, qui Doctoris Lovaniensis munus exercens, non discussa quæstione, sed de confirmationis ministro agens, nonnulla obiter protulerat. Laudatæ distinctioni judicii privati, & judicii publici obsequantur, necesse est, adhuc ipsi adversarii, qui infallibilitatem in Concilio Generali constantem viriliter propugnant. Compertum quippe habemus Patres inibi con-

sedentes in privatis opinionibus nonnunquam a vero deficere, ut legere est in historia Concilii Tridentini studio Cardinalis Pallavicini concinnata. Et tamen in judicio publico definitivo ad exactam fidei regulam inconcussam veritatem constabiliverunt. Non pro omni sensu promissus cœlitus est Sancti Spiritus specialis afflatus; sed ad postremam publici judicii sententiam reservatus est, tam pro Concilio Generali, quam pro Romano Pontifice ex Cathedra loquente, ut non tam Patres, quam Pontifices Maximos intelligamus locutos, tanquam organum ejusdem Dei nos docentis, & instruentis.

§. XXIV.

Aliæ notæ nequiter offusæ evacuantur.

PAtrocinium quæritant adversarii a dictis vel factis unius vel alterius Pontificis Romani, ut traditionis jacula declinent, quæ jugulum petunt. Patienter ferre fas est, ne videamur difficultates fugere. Paulum IV. accersunt concionantem adversus Pontificiam infallibilitatem. Rogatus Pontifex, ut Matrimonium ratum tantum inter filium Ducis a Memorantio, & Joannam Halluynam Piennæam celebratum dissolveret, audire voluit peritos, & do-

& doctores in divinis, & decretis, quos accitos in hæc verba affatus est. *Ne quæso vos teneant decessorum meorum facta, & exempla, quæ eatenus sequi volo, quatenus scripturæ auctoritas, & Theologorum rationes, vos ad illud agendum inducent... Non dubito quin ego, & decessores mei errare aliquando potuerimus, non solum in hoc, sed etiam in pluribus aliis rerum generibus, & tamen plane condemnandi non sumus. Nam Deus suam ita regit Ecclesiam, ut illi certum ad tempus abscondat multa, quæ tum inde patefacit.... Quis igitur scit modo, num quæ reliquis circa indissolubile matrimonii vinculum ante fuerunt incognita, per nos Deus apertam in lucem nunc prodi velit?* Fides sit penes Castelnavi Maluisser, qui hæc refert inter sua Commentaria Tom. II.

Proloquium Pauli IV. nullum prorsus suffragium præbet adversariis. De casu particulari agebatur, neutiquam de dogmate ex Cathedra dicendo. Quotidie hæc agitantur in Curia Romana hinc inde, juxta diversarum partium studium nervose scribentium, ubi etiam de potestate Pontificis, pugnantium doctorum placita producuntur. In quæstione pro utraque parte toties ventilata, placuit Sanctæ Sedi tuto posse dispensare, & urgente causa dispensat adhuc. Et hoc est errare? Minime gentium. Secuti sunt sententiam, quam probabilio-

rem, & tutam in praxi censuerunt. In hujusmodi causis, dicit Paulus IV. & ipsum & decessores suos potuisse aliquando errare. Quod ex pluribus inculpate contingere solet. Vel quia factum falso supponitur; vel quia causæ testibus non integris innituntur, & similia. Acciti Consultores, eodem auctore teste, in oppositas abierunt sententias. Successive dispensatum est; ergo rite; ergo recte. Sed quid, amabo, hoc argumentum confert; ad vellicandam Pontificiam infallibilitatem ex Cathedra? Præsens relatio judicia privata tangit, & quidem sæpe sæpius contentiosa. Ut tutius, & probabilius procederet, doctos viros consuluit Pontifex, non autem ut definiret de dogmate. Nos vero quærimus de infallibili judicio ex Cathedra, ut de fide, qua nil certius in Mundo, doceatur Universalis Ecclesia. Plurimum, heu nimis, a sententia nostra discrepant.

Heterodoxi erraſſe utcumque dicunt Sixtum V. per eam causam, qua inhærens decreto Concilii Tridentini expurgare curaverit a mendis Scripturam Sacram, eamque sic emendatam typis dari jusserit, indicto præcepto sub pœna excommunicationis, ut ab Ecclesia Universa pro authentica haberetur. Deinceps subnectunt eam exposuisse sub titulo vulgatæ editionis ab omni mendo puræ, quando a pluribus Catho-

tholicis viris adhuc plurimis scatere mendis demonstratum sit. Propterea factum est, ut Clemens VIII. aliam emendatiorem impressionem excudi mandaverit.

Scite dicta res est. Sed ubi cubet hic error Sixti Pontificis, latet omnino. Ipse præbuit vulgatam editionem Scripturæ Sacræ incorruptam, & immaculatam, in sensu verborum, qui ad fidem, & mores spectat. Præcepit ut ab omnibus pro authentica habeatur; *ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat*; ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 4. Declaravit Sixtus V. impressionem prodire, *quam nunc prout optime fieri potuit, emendatam*; Adeoque cæteris latinis editionibus, vel versionibus anteponendam esse. Neque unquam contendit, a levioribus usque mendis ita purgatam fuisse, ut successor Clemens VIII. non potuerit juxta fas editionem correctiorem adornare. Igitur Sixtus V. in errorem nullatenus impegit. Ægre tulerunt hæretici, fuisse procusam intemeratam, & authenticam Scripturæ Sacræ editionem, iisque ademptam viam saltitandi nunc ad textum Hebraicum, nunc ad textum Græcum, nunc ad alias versiones, ut falsitates suas importune obtegerent. Qua de causa, ut accuratæ vulgatæ editioni callide occurrerent, alias versiones moliti sunt, & omnia susdeque everterunt. Hinc propriam

culpam, suumque errorem in Sixtum V. Pontificem Maximum per summam audaciam detorquere non omittunt.

§. XXV.

Cum infallibilitate pugnat posse errare in facto dogmatico.

ABsolutis vindiciis Romanorum Pontificum quos exagitare non desinunt adversarii, ut infallibilitatem ab eorum judiciis ex Cathedra editis convellant; ad alias objectiones solvendas necesse est convolare. Neque pigeat plurium Pontificum meminisse, quos criminari non desinunt, quia unum vel alterum præterire, ipsorum judicio, est cedere pugnæ, ex defectu validæ tuitionis, qua ab inusto errore eripi possint.

Objiciunt igitur Papam errare posse, & erravisse in facto dogmatico. Recens Scriptor non detrectat hoc assertum admittere, hac usus distinctione, ut possit quidem errare in facto, neutiquam in jure, eidem connexo. Sed imaginaria prorsus est hæc distinctio, si in re, non autem in logico sensu factum dogmaticum consideremus, ut par est. Hujusmodi factum compellat factum mixtum cum jure, hoc est cum dogmate fidei, adeo inseparabiliter connexum,

ut

ut judicium tangens factum nullatenus a jure præscindere valeat. In scriptis dogmaticis planum est exemplum, puta in epistola Ibæ ad Marim Persam; In libro Cornelii Jansenii de gratia Salvatoris, & his similibus. De hujusmodi scriptis quæsitum fuit, an hæreses, an sensus obvius, an sensus ab auctore intentus ad hæresim docendam, continerentur. Ubinam excogitare licet, factum hujusmodi esse a dogmate separabile, ut errare quis possit in facto judicando, quin fallatur, & fallat in jure? Quæstio non erat, an Iba conscripserit Epistolam, an Jansenius librum composuerit, quod facti simplicis est nota. Sed inquirebatur, an error, an hæresis, an sensus improbus, nec ne in illis lateret. Ergo errare in hoc facto, est prorsus errare in dogmate.

Parum immorari placet in allato exemplo disceptationis super Epistola Ibæ ad Marim Persam, & iterum eloqui circa ea, quæ occasione V. Synodi adeo acerbis implicarunt molestiis Vigilium Papam. Historia jam patet ex dictis superioribus. Plura facta dogmatica sese objiciebant menti Vigilii. I. Quod Epistola Ibæ fuerit lecta in Concilio Chalcedonensi, & absque censura dimissa, quemadmodum absque examine. II. Quod Episcopi Occidentales, præcipue Africani, & Istriæ minabantur a Commu-

nione Vigilii secedere, si quidquam consentiret in aliquam condemnationem, non intentatam a Concilio Chalcedonensi, rati, non esse opus tanto Concilio vel in apice detrahere; imo totum conatum hæreticorum fuisse, ad condemnationem trium Capitulorum urgere. III. Quod Episcopi Orientales probe conscii, arte hæreticorum fuisse disseminata scripta trium Capitulorum, ut minus cautis propinarent profligatæ hæresis virus, perurgebant Imperatorem, compellebant Vigilium, ut condemnationi subscriberet. Ad has incitas redactus Vigilius, quo se verteret, fluctuabat, instante periculo sive in Scyllam, sive in Charybdim incidendi. Propterea enixe postulabat, ut plenarium cogeretur (1) Concilium in partibus occidentis, vel saltem Episcoporum occidentalium solicitarentur in scriptis sententiæ. In hac re Vigilius nec in facto, nec in dogmate erravit. Si erravisset in facto, utique in jure quoque errare debuisset; ex necessaria connexione inter utrumque. Refugiens Vigilius condemnare tria Capitula, non proinde ea probabat; sed ne Schisma in Ecclesia Occidentali conflaretur, provide censebat vestigiis Chalcedonensis Concilii insistere, donec Episcopi Occidentales suam dicerent sententiam.

Distinxerunt equidem Iansenianæ hære-
sis

(1) Nori. in differt. Quintæ Synod.

ſis fautores, in facto dogmatico, factum a Jure, profitentes obedientiam juri, reverentiam facto. Aſt male parta diſtinctio ſuo in ortu confoſſa eſt, & Alexandri VII. & Clementis XI. anathematis gladio. Quid eſt obedire juri, neutiquam facto, niſi utrumque a debito obedientiæ depellere? Jus enim frequenter ex facto oritur, adeo ut uno deficiente, alterum diffluere neceſſe ſit. Qua ergo ratione ex orco iterum reviviſcit ad detrahendum Romano Pontifici, quaſi cum privilegio infallibilitatis poſſit in facto dogmatico errare, errore ſcilicet facti, non juris? Pugnantia nimium hæc ſunt, ut poſſint quocumque ſtudio copulari. Alias nequidem tota Eccleſia poſſet certum ſenſum in Sacra Scriptura deprehendere, ſi ad ſenſum loquentis Dei firmiter nequiret attendere, eundemque ſtatuere.

Euſebius Nicomedienſis cum Theognio Nicæo ad depellendam, vel potius palliandam hæreſim in Ario impio auctore, (1) libellum primo protulit, dicens: non abnuere in condemnationem erroris venire, dummodo exciperetur ipſe Arius ab hæreſeos nota, cum prope ſciret ex ſcriptis, & ſermone ejuſdem, prorſus Arii mentem alienam eſſe ab impacta hæreſi. Hæc fuit diſtinctio juris, & facti, qua abutens Euſebius in defenſionem Arianæ hæreſis fucum fa-

(1) Inter fragm. Concil. Nicæn. apud Binium.

facere moliebatur, ut inde, salvo auctore, impia quoque doctrina impune grassaretur. Ex quo evincere necesse est, nunquam satis profligatum iri errorem, si in facto dogmatico distinctio juris, & facti admitteretur, ut Papa in uno vel altero fallere posset. Eandem fraudem adoptant illi, qui in facto Janseniano contendunt, errare posse Pontificem.

§. XXVI.

Alia excogitata distinctio inter Pontificem, & Sedem Apostolicam dirimitur.

MUltifariam loquuntur adversarii, quum de Pontifice, de Cathedra, aut de Sede Apostolica, vel de Ecclesia Romana disserunt. Sedem seu Cathedram Petri dividunt a sedente in ea, ut alibi innuimus. Illam immutabilem, & immaculatam esse affirmant, quia dicunt nominare, non quidem Pontificem hic, & nunc sedentem, sed successionem indefectibilem Romanorum Pontificum. Ex quo licet unum, vel alterum contingat errare ob defectum infallibilitatis personalis, impossibile tamen est, quod tota successio deficiat. Ita quippe suaviter a divina providentia est dispositum, Spiritu Sancto afflante, ut si unus errabit, alter ex successoribus emenda-

da-

dabit errorem, & veritatem redintegrabit. Quod manifestum fieri, autumant, quia alias Sede vacante oraculum fidei vivum ab Ecclesia abesse, opus esset affirmare; Ecclesiamque ipsam posse in fide periclitari. Hæc summa opinionis quorundam, qui dimisso pondere traditionis proprio mentis acumini toti se dedunt.

Sedem diximus, sive Cathedram separari a Pontifice Romano, quia hic non illa labili cedit naturæ, & occumbit; sive Sedes intelligatur pro passiva locali residentia, sive pro dignitate, & jurisditione Papali ad hierarchicum ordinem spectante, illumque inchoante. Si vero pro successione Episcoporum Urbis, ipsa Sedes vel Cathedra habeatur, ut innuit Theologus arguens, admodum difficile est, ne dicam absurdum, persuadere, quod Sedes a Romano Pontifice separari, aut distingui possit, ne cogamur dicere Romanos Pontifices a serie Romanorum Pontificum secerni debere.

Attamen deglutiamus hoc absurdum. Unde traditionis caput auspicabimur, qua successioni Romanorum Pontificum, non autem Petro, & nominatim uni post alterum ex successoribus, collatum non fuerit a Christo infallibilitatis privilegium? Ubi est illa idealis successio indeficientis magisterii, si unus, & alter, & alter a primo usque ad postremum falli, & fallere possunt?

ſunt? Quis erit ille conſtitutus Paſtor, Doctor, & Magiſter Univerſalis Eccleſiæ, cui cæteros confirmare incumbet, ſi ſinguli Pontifices alteri, & alteri ſuccedentes eodem laborant defectu errandi, & alios in errorem trahendi? Ille qui dicitur a Spiritu Sancto delectus, ut prædeceſſoris errorem corrigat, & emendet, eſt ne infallibilitatis dono munitus, vel fallibilis, ut cæteri habentur? Si fallibilis eſt, ubi producitur teſtis ſive ex Scriptura Sacra, ſive ex Patrum traditione, qui fidem a nota temeritatis vindicet, oſtendendo in ſerie Romanorum Pontificum adeſſe Pontificem adhuc fallibilem, ſed certiſſime emendantem, & corrigentem prædeceſſorum errores? Si vero hic Pontifex ſelectus in præfata ſerie, & a SpirituSancto afflatus ad corrigenda præcedentium errata, eſt infallibilis; Oſtendatur quoque neceſſe eſt, unde hic, vel ille Papa inter plures hoc privilegio ſit donatus; quum neque Evangelium, neque Vetus Teſtamentum, neque Patrum traditio id vel leviter prodat.

Conſtat quidem a Chriſto fuiſſe Petrum inſtitutum Paſtorem omnium, & ſingulorum, nemine excepto. Conſtat Paſtorale Miniſterium in id intendere, ut doceat, & ſanctificet. Conſtat hanc dignitatem, & Miniſterium Paſtorale a Petro derivari in omnes, & ſingulos ſucceſſores, qui Chriſti

in

in terris locum tenent, & totius corporis visibilis Ecclesię caput visibile sunt, sub Christo, qui est caput, & triumphantis, & militantis Ecclesiæ; illi visibile, huic invisibile. Constant hæc, & alia plura ex præjactis fundamentis hujus dissertationis, tam divini eloquii, quam haud interruptæ Patrum traditionis, quibus ex acumine ingenii refragrari, idem est, ac hariolari, vel ludere.

Moritur Pontifex, ajunt, & suo fato cedit. Labascet ergo fides Ecclesiæ absque suo infallibili interprete, Doctore, & magistro? Respondeat doctissimus Episcopus Cano, cui submittere fasces, neque indignum, neque indecorum est accipiendum: (1) *Mortuo autem*, inquit, *Summo Pontifice, una sine dubio Ecclesia manet, & manet in ea spiritus veritatis, sed manca, & diminuta sine Christi Vicario, & Ecclesiæ uno Pastore relinquitur. Quocirca licet veritas tunc etiam in Ecclesia sit, at si controversiæ fidei, & religionis oriantur, Ecclesiæ judicia, sine capite in terris, non adeo certa erunt*. Expedita responsio.

§. XXVII.

(1) De loc. Theol. l. 4. c. ult.

§. XXVII.

Aliud argumentum de infallibilitate Ecclesiæ particularis Romanæ præoccupatur.

ALii ut detrahant infallibilitati Romani Pontificis, conspirant potius ut concedant infallibilitatis privilegium Ecclesiæ Romanæ, sub ea notione, qua particularis Ecclesia est. Quo fundamento, quo teste, nullibi legitur. Arguunt itaque Ecclesiam specialem Romanam, ut immaculatam, ut incorruptam a Patribus laudari; Matrem, & matricem cæterarum Ecclesiarum appellari; centrum unitatis, depositum incontaminatæ traditionis dici, & ab omnibus haberi. Ubi majores infallibilitatis notæ unquam reperiri poterunt, quam in Ecclesia Romana? Subinferunt deinde cetera hujusmodi Scriptores, inter se tamen discordes; siquidem alii expedite affirmant, Pontificem Romanum, se solo, esse fallibilem; si vero cum Ecclesia sua Romana de fide definiat, infallibilem evadere: Alii e contra infallibilem Pontificem Romanum dicere non dubitant, sed accedente Ecclesiæ Romanæ consensu: Placetque, toti populo Ecclesiam hanc constituenti, proprio marte, sufficere Clerum Romanum, & postremo ipsi Clero substituere S. R. E. Cardinales,

les,

les, juxtà morem præsentis ætatis. Neque his contenti, ut etiam Doctrinam de infallibili judicio fidei, quo nil sanctius est, ad novitatem ritus deducant, plures innectunt clausulas, nempe quod Papa præmisso consilio, & maturo examine rei definiendæ, indictis precibus ad postulandum Spiritus Sancti afflatum, pronuntiet sententiam, servatis formulis Curiæ Romanæ, quibus impletis accedente consensu Cardinalium repræsentantium Ecclesiam Romanam, infallibile prorsus evadet judicium.

Si vel pueris concessum esset differere super his gerris, putidam opinionem execrarentur. Ecclesia specialis Romana tot encomiis a Sanctis Patribus celebrata sat sibi est, quin fuco ex novitate ingenii novo donetur infallibilitatis privilegio, ab ipsa suo communicando Pastori. Ut alibi jam dictum est, nullum est adinvenire Christi oraculum, quo pascendi, & docendi munus Ecclesiæ speciali Romanæ demandatum scribatur. Petro dictum est: *Pasce oves meas. Pasce agnos meos*. Petro dictum est: *Confirma fratres tuos*. Petro datæ sunt Claves Regni Cælorum. Idcirco Petro datum est ministerium auctoritatis, & potestatis regendi, docendi, judicandi; & super Ecclesiam hanc Romanam, & super Ecclesiam Universam, ac ubique, ubi sunt agni, ubi sunt oves. In his Christi oraculis ne

ver-

verbum quidem legitur, quod vel violenter ad Ecclesiam specialem Romanam trahi possit.

Neque excogitandum est, tunc in Petro Ecclesiam hanc particularem Romanam repræsentatam fuisse; Quia tunc Petrus institutus Summus Pontifex a Christo, neque erat Episcopus Romæ, neque proxime accingendus. Constat etenim Petrum prius sedisse Anthiochiæ, quam Romæ. Porro si Petrus Antiochiæ usque ad mortem sedisset, procul dubio encomiis, & privilegiis Roma caruisset, & iis Antiochia etiam nunc potiretur. Quorsum hæc? Nisi ut sole clarius pateat, ex sola sessione Petri Romam translata, & ex privilegiis tantum Petri Ecclesiam Romanam præ cæteris celebriorem a Sanctis Patribus prædicari.

Si hæc ita sunt, Evangelio nos docente, qui fieri potest, ut successor Petri, sedens in Sede Petri, ornatus privilegiis Petri, infallibilitatem judicii a suis Romanis ovibus mutuetur, & a Romanorum consensu in certitudine fidei dependeat? Unde textus, unde testis, unde traditio? Omnia silent. Probent istiusmodi Scriptores, Ecclesiam Romanam quidquam unquam decrevisse de fide. Probent, referentes causas fidei ad Ecclesiam Romanam, unquam ab illa definitiva reportasse responsa. Probent tandem, ad Ecclesiam particularem Romanam confu-

fu-

fugiſſe aliquem per illud temporis ſpatium, 70. ſcilicet annorum, quo Pontifice Romani Avenione ſederint. Nemo hiſcet. Argumento igitur eſt, a Pontific reſponſa , & ſententias dari, & ad Pontificem cuncta referri, quin Eccleſia particularis Romana, ſive accepta pro toto populo, ſive pro Clero, ſive latius, ut aliis placet, pro ſuburbicariis, vel Italis Epiſcopis ſumpta, quidquam ad infallibilitatem conſtituendam opituletur.

Neque ut conſenſum conferret, unquam expectavit Pontificia infallibilitas Eccleſiam Romanam. Evidenter id oſtendam. Orta hæreſi Eutychiana, ſcripſit S. Leo Epiſtolam dogmaticam ad S. Flavianum Conſtantinopolis Epiſcopum, per quam profligata impia hæreſi, præclare, ac nitide contra illam firmata legebatur fides Catholica. Uno verbo: Hæc epiſtola fuit baſis, & inconcuſſum fundamentum Concilii plenarii Chalcedonenſis. Nunc a vitilitigatoribus adverſariis expoſco: Quid, vel quem conſenſum impendit unquam Eccleſia Romana, quomodolibet accepta, ad infallibilem doctrinam hujus epiſtolæ? A nemine id proditur. Non potuit eſſe conſultationis fœtus, quia S. Leo ſapientia præſtabat omnibus Romanis, & Italis, plureſque Epiſcopos per ſuas literas decretales docuit conſultus, quin indigeret ab aliis doceri. Neque potuit Eccle-

sia Romana particularis suum consensum præstare laudatæ Epistolæ S. Leonis, quia nullibi legitur eam fuisse prius Romæ publicatam, quam Constantinopoli, & Chalcedone, ubi hæc celeberrima epistola recepta fuit, perinde ut oraculum S. Petri per Leonem loquentis. Igitur vel epistola dogmatica S. Leonis, utpote destituta consensu Ecclesiæ Romanæ, erat incertæ fidei, vel non. Si primum, falsi convincuntur ii, qui in oriente, ut fidei caput, illam habuerunt. Si secundum, insulse, & inepte blaterant illi, qui ad infallibilitatis Pontificiæ apicem expostulant Ecclesiæ Romanæ particularis consensum. Si quis est stomachus, qui grandia hæc absurda patiatur, deglutiat.

Non ignoro adversariorum effugium, quo proclamant epistolam dogmaticam Sancti Leonis, fuisse Chalcedonensi Synodo oblatam, ut prævio examine probaretur consona, & cohærens Sanctorum Patrum sententiis. Verum cavillationem sapit suggestio. In secunda actione laudatæ Synodi, pars major Episcoporum se subscripsisse fatetur Epistolæ Magni Leonis. Alii nonnulli inducias petiere, ut omnis eorum dubietas dissiparetur. Datæ sunt induciæ petitæ, ea jussione, ut convenirent Patriarcham Anatolium, *& qui dubitant, doceantur*. Mox edocti, & ipsi subscripserunt, conclamando cum cæteris: *sicut Leo, sic credimus*.

mus. Itaque ad discendum est totum examen impensum super Leonis epistola; neutiquam ad judicandum, multo minus ad constituendam infallibilitatem dogmatis, quam ab auctore Leone jam acceperat. Sed de his alibi.

§. XXVIII.

Idem argumentum quoad aliam partem de requisito Cardinalium consensu producitur, & praefocatur.

NOvitas opinionis, quæ in limine præfocat auctoris intentum, & dictum, ad cavillandum inducta plane cognoscitur. Hujusmodi est illa, de qua in præsentiarum est sermo. Etenim dum agitur de infallibilitate Romani Pontificis, & pro illa se stare pronuntiat, eandem enervat, elevat, abolet. Quid est esse infallibilem, accedente Cardinalium consensu, nisi esse Romanum Pontificem se ipso fallibilem? Si ita est, ut lippis etiam patet; quid est librum, seu dissertationem inscribere: *de Romano Pontifice in ferendo de fide moribusque judicio falli, & fallere nescio*, nisi specie veri mendacium infuscare, lectoribus fucum facere, discipulos frustrari, & Pontificiæ dignitati illudere? Itane agendum est cum Successore Petri, *cujus Vicarii principa-*

patus sicut eminet, ita metuendus est, & amandus, (1) ut scite scribebant ad Hilarum PP. Hispanorum Episcopi? Deus meliora.

In limine hic modernus Scriptor, inquirit: *Num Pontifex sententiam aliquam, in materia fidei, & morum, ex Cathedra, seu ex tribunali, solenni ritu pronuntians, servatisque debitis juris formulis, hoc est fusis primum ad veritatis spiritum advocandum solennibus precibus, præmisso serio rei totius examine, præhabita consultatione Ecclesiæ suæ Romanæ, intra Urbis ambitum constitutæ, seu ut præsens habet usus, adhibitis ad consultationem EE. Cardinalibus, qui Romanum hodie Clerum constituunt, Utrum, inquam, vel sic possit Pontifex in errorem prolabi, falsumque judicio statuere, definire, atque decernere, dum Ecclesiam universam edita Constitutione docet, instruit, & informat*. Deinde præfinit: *Romanos Pontifices e Sacro Tribunali solenniter pronuntiantes, hoc est, præhabita Ecclesiæ intra Urbis ambitum constitutæ consultatione (seu ut præsens habet usus adhibitis ad Consultationem EE. Cardinalibus, qui Romanum hodie Clerum constituunt) in causa fidei judicantes, errare omnino non posse*. Mox adjicit. *Si de Pontifice, nulla sedis, Ecclesiæque suæ habita consultatione, nullo illius accedente consensu,*

(1) in Concil. Taraconen.

ſu, diſputarent (adverſarii); haud ægre concederem, illa duo cohærere poſſe, Pontificem errantem, & Sedem Apoſtolicam, ſeu Romanam Eccleſiam, in fide perſeverantem. Rurſus addit. *Porro conſulta creditur Apoſtolica Sedes, conſulta Eccleſia Romana, dum Eminentiſſimi Patres, qui Romanum Clerum hodie conſtituunt, cæterique Præſules in conſilium adbibiti, aſſenſumque dedere ſolenniter, & ex formula. Cum ii Sedem Apoſtolicam, Romanamque Eccleſiam repræſentent, ſintque ipſamet Eccleſia Romana docens, judicans, & pronuntians.* Tandem uſque ad nauſeam recoquit, & repetit. *Pontificem eſſe infallibilem accedente Eccleſiæ ſuæ* (hoc eſt Cardinalium) *aſſenſu*. Et quia ſæpe repetit de formulis ſervandis, notanda eſt explicatio, ubi dicit. *Pontifices enim volumus falli neſcios, ubi de fide ex Cathedra, ut loquuntur, ſeu e Sacro Tribunali ſervatiſque Fori Romani formulis ſententiam dicunt, pro conditione Pontificis Maximi.*

Itaque ſtomachum movet tanta audacia, quum velit hic Scriptor certas leges Pontifici Romano circumſcribere, uſque ad debitum ſervandi formulas Fori Romani. Quod ſolenniter, & e ſacro Tribunali pronuntiet. Quod conſulti Cardinales, & Præſules dent ſolenniter, & ex formula aſſenſum ſuum, ſub interminatione infallibilitatis delendæ, ſi quidquam infelix Pontifex

prætergrediatur. Quando nihil hactenus neque Generale Concilium ad hæc monenda cogitaverit. Sed semper liberum fuit Romano Pontifici, sive per decretum, sive per Epistolam, sive per Bullam judicium finire. Consiliarios advocat Cardinales, tanquam nunc Clero Romano suffectos, deinde sui oblitus, etiam cæteros Præsules compellat. Inscite Clerum Romanum cogitat extinctum, cujus quot annis adhuc eligitur caput illi præsidens, & lata lege Cardinales substituit. Quis unquam hæc feret? Pudet singula prosequi. Potiora expendamus.

Preces ad advocandum Spiritum Sanctum non refugit Pontifex Romanus, qui jugiter pro munere suo, & officio est mediator inter Deum, & populum, ut sibi, & ovibus suis recte prospiciat. Neque hujus meminisse oportuit, quasi periculum oblivionis immineret. Sed quoad Consulentes fallitur hic Scriptor. Vidimus a nemine probatum iri, S. Leonem M. Consulentes advocasse, ut de consilio Epistolam dogmaticam ad Flavianum exararet. Proclive est credere Sanctum Gregorium M. cujus sapientiam jam probe novimus, decretales suas edidisse, nullo consulente. Si quis alius Pontifex superioris sapientiæ per sese res dubias evolveret, & serio examine discuteret, qua fronte audebit quispiam de fallibilitate excipere, si ex Cathedra definierit?

Nul-

Nullus ex Romanis Pontificibus, quum oportuit, & quum oportet, aut neglexit, aut negligit peritorum consilium in rebus arduis; Olim ex Clero assumendo Consiliarios, vel cogendo Concilium ex finitimis Italis Episcopis; ac tandem ex Sacro S. R. E. Cardinalium Collegio, quibus apprime communicata est scientia ab alto. Verum non necessario consequitur, ita a moderno legislatore arctari posse Pontificem, ut si aliter, prudentia, & sapientia suadente, dispofuerit, statim exciderit infallibilitatis privilegio. Quid quod velit hic scriptor, advocandos esse Cardinales pro consultatione, tanquam Ecclesiam Romanam, loco Cleri, repræsentantes, qui proinde sunt, una cum Pontifice, *ipsa Ecclesia Romana docens, judicans, & pronuntians*? Nonne est re, verboque ludere, quum asseritur, Consulentes, & Judicem una simul sententiam dicere? In quo Foro hæc leguntur, a quo Jure hæc produntur?

Neque hic sistit novitatis furor. Cardinales ad consulendum vocantur. Cum Papa judicium ferunt; deinde accedente eorum assensu judicium inconcusse firmatur. Lepidus ne est hic sermo? Labat sententia Cardinalium, nisi posteriori assensu roborata fuerit; quasi judicando, sine sensu, & ratione pronuntient. Rursus Cardinales dum consulunt sunt fallibiles; quum pro-

nuntiant cum Papa sunt fallibiles; quando vero accedunt assensu suo, infallibilitatem complent, atque perficiunt. Perversissimus ordo! Iterum hic quærimus: in quo textu S. Scripturæ, in qua parte traditionis legere sit, quod Papa sit infallibilis accedente Cardinalium assensu. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, inquit Christus Dominus, explicatque diserte S. Leo M. in hæc verba: (1) *Ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, quæ antea Legis, & prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret: sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ* *Dei*

(1) Ep. 89. ad Ep. Viennen.

Dei in Petri soliditate consisteret; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem, domino, ut diximus, ædificante, constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id quod accepit a veteribus, non sequendo.

Sed quomodo Ecclesia particularis Romana dicetur vero elogio Mater, & Magistra cæterarum Ecclesiarum, veritatis, & traditionis fons, & interpres, si ad infallibilitatem judicii ex Cathedra nihil conferre existimatur? Respondeo: Ecclesiam Romanam omnium honorum titulis insigniri, & gaudere, quia a summo Pontifice intelligitur, in eam derivare dignitatis splendorem; ut alibi luculenter ostendimus. Cur autem sæpe a Patribus, ab ipsismet Pontificibus, & a Generalibus Conciliis, non ipse Pontifex, sed vel sedes, vel Ecclesia Romana compelletur; idcirco est, quia Pontifex vita decedit, Ecclesia vero vel Sedes Romana mortis est expers. Propterea quoties scripta Romam pervenerint referenda Pontifici, jam e vivis sublato, successor per sua rescripta rem pro suo munere absolvit; quin Ecclesia Romana in expediendis quibusque rebus se immisceat. Dicitur etiam

Ec-

per Successores suos, reprobata, & convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in Fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata..? Quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro & successoribus ejus, totius Ecclesiæ disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens, ducit, & reducit ostium, sic Petrus, & sui Successores liberum de omni Ecclesia habent judicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum; quia summa sedes a nemine judicatur: Unde Clerici ejus Cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera moventur, vicinius adhærentes. Utique adhærentes, neutiquam judices, aut infallibilitatem judicii Pontificii per assensum conficientes.

§. XXIX.

Alia absurda deteguntur, & eluduntur.

ABsurda horrorem præseferentia allaturus, quibus moderni refractarii implicantur, animum despondeo: posse enim singula expendere, difficillimum est, quia & plurima, & ambagibus implexa se offerunt. Ut judicio Pontificio ex Cathedra lato ab Clemente XI. adversus Quesnellii editas propositiones, propudiosas affricarent con-

contumelias, omnem excogitarunt viam, ad elevandam infallibilitatis vim, & decus. Quemadmodum coluber, ut aggredientis robur effugiat, quaqua versum involvitur, donec exasperatus capta fovea evanescat. Audiamus quid eructaverint.

Alii ad Concilium Generale provocaverunt, ut fides debita dogmati pendula hæreret. Alii acceptationem Episcoporum exquirebant, ut assensu suo dogmaticum illud roborarent judicium. Alii præfata simplici acceptatione minime erant contenti, nisi Episcopi suo se tribunali sistentes, instructa causa, discussa materia in controversiam revocata, iterum ex integro sententiam suam ritu solenni pronuntiarent. Alii flagitant, ut singulorum Episcoporum orbis probaretur assensus. Quantus labor, ut in obsequium fidei flectatur diffidentium animus!

Singula breviter percurramus. Etiam Coriphæi modernorum hæreticorum perfricta fronte ad Concilium Generale appellarunt, sed coacto Tridentino Concilio, invitati ut accederent, datis verbis futilibus evanuerunt. Moras nectere est, contumaciam suam tueri est, futurum compellare Concilium, quod vel nunquam, vel adeo sero cogendum foret, ut nemo superstes esset judicio staturus. Sed, quod impudentissimum est nomini catholico; Nonne superciliosæ pe-

petulantiæ est signum, dogmaticæ definitioni terga vertere, & insolenter refragari? Si Pastorem negamus, quem Christus instituit: si doctorem, & Magistrum repellimus, quem Patres nostri intemerata traditione venerati sunt: si judicem supremum controversiarum fidei insolenter despicimus; quo spiritu Christum legislatorem, & Magistrum dicimus, a quo hic ordo, hæc Ecclesia visibilis constituta auditur, & creditur?

Appellavit a dogmatico decreto Innocentii I. & Zosimi Romanorum Pontificum Eclanensis episcopus Julianus Pelagianorum (1) Primipilus, quum per literas calumniis undique exundantes conquestus est, a simplicibus Episcopis absque synodali conventu dogmata Pelagii damnata fuisse; adeoque postulare est agressus, ut orientales, & occidentales in unam universalem Synodum convenirent, plene de omnibus, præmissa diligenti discussione, agnituri, & sententiam laturi. Juliani technas, calumnias, perfidiam, S. Augustinus detexit, mendacissimumque hominem confutavit, atque confixit. Notanda sunt verba Augustini: Inquit enim: (2) *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi con-*

(1) Spond. ad an. 419. n. 5.
(2) l. 4. ad Bonif. c. ult.

congregatione damnata sit; cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit... Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum... hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos orientis, & occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.

Appellaverunt Donatistæ a judicio Melchiadis, eosque perculit justissime Imperator Constantinus, teste Optato Milevitano, exclamans: (1) *O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Annon maxime inclamarent Augustinus, & Optatus, si a judicio dogmatico nunc appellare audirent; qui adeo excanduerunt pro appellatione Donatistarum, quæ fidem directe non spectabat?

Sed plus audet insolens pervicacia. Pelagiani atrocissime criminabantur Catholicos, tanquam Manichæorum hæreseos sectatores, ac propagatores. Donatistæ proclamabant suam ecclesiam, ut verum Christi factum; in cæteros vero Catholicos schismatis probrum retorquebant. Quæ omnia signa sunt summæ perfidiæ, quæ malæ causæ pessimum solet advocare a contumeliis patroci-

(1) l. 1. de Unit. Eccl.

cinium. Hinc erudite, ac luculenter adversus Acacii Constantinopolitani sectatores, aliosque aliud Concilium poscentes, scribebat S. Gelasius: (1) *Nam si limitibus etiam praefixis positarum semel Synodalium regularum, non cessant elisae pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quaeque corda percutere: quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire Concilium?*

Iisdem prorsus vestigiis insistunt moderni Quesnellistae, antiquorum appellantium referentes imaginem. Constitutionem dogmaticam sanctissimi Clementis XI. ex ore Petri loquentis pronuntiatam carpunt, maledictis lacerant, imprecationibus insectantur, execrationibus impetunt, quia Jansenianam heresim jugulat; gratiamque sufficientem, qua redditur homo proxime potens operari bonum, aut a malo declinare, in tuto ponit, ut ex damnatis propositionibus plane fit manifestum. Charitatis jura custodit, quin moralis bonitas ab opere exulare dici debeat, si peccator, sine illa, bene se exerceat. Fidem recte instituit initium justificationis, sed non ut primam gratiam a Deo collatam, quum pluribus aliis supernaturalibus auxiliis dignetur summa Dei misericordia, cor hominis tangere, irrorare, emollire, ac praevenire. Spem tuetur inco-

lu-

(1) Epist. 13. ad Episc. Dardan.

lumem, & si charitate sit destituta, ut peccator illi innixus erigere se possit, & a peccatorum cæno emergere satagat. Disciplinam, quam Quesnellus ad sua deliramenta accommodat, suis præscriptis regulis restituit. Obedientiam redintegrat, quam effrænem adversus Superiorum, & maxime sanctæ Sedis præcepta, & decreta, indisciplinatus Quesnellus designat. Demum, ut verbo cætera complectar, omnia ad fidei, morumque regulam laudatus Clemens Pontifex Maximus sua Constitutione *Unigenitus* edixit, decrevit, & sanxit; adeo ut totus orbis, universa Ecclesia in suæ debitæ obedientiæ argumentum Constitutionem *Unigenitus* plenissime laudaverit, devotissime amplexa sit, studiosissime probaverit, & religiosissime coluerit, Auctoremque suum Clementem XI. ut Pontificem undequaque doctrina, ac fidei propagatione celeberrimum posteritati consecraverit.

Plurimi tamen adhuc sunt, quos tanta integritas urit, tanta veritas excruciat, ut quum debellare non possint, oppugnare non reformident. Hujusmodi virulenti homines, sicut aspides surdæ obturantes aures suas, ne audiant summi Pastoris vocem definientem ex Cathedra, Pontificiæ detrahunt infallibilitati, Constitutiones Apostolicas conviciis verberant, & nefaria disseminant, ac si per Bullam *Unigenitus* pessundata jaceat

Moralis regula regendorum, ſanctorumque Patrum traditio, & una cum Verbo divino extorris ſit effecta. Hi ſunt, qui infallibilitatem judicii ad placitum nequiter opinantium reducunt; nunc conſenſum requirentes Eccleſiæ; nunc Conciliare poſcentes examen; nunc alterum uniuſcujuſque Epiſcopi expectantes judicium; nunc formulas fori præpoſtere exigentes; nunc ritum, nunc ſolennitatem ex tripode comparantes; Quando Chriſtus paucis edixit: *Paſce oves meas. Confirma fratres tuos.*

Itaque Refractarii ſoli ſibi ſapientes, ab omnibus tanquam agreſtibus ſe ſubducunt, ut ad infallibilitatem Pontificiam velut ad ſcopum collimando ſagittas intorqueant. Hinc varia augent, & amplificant, mox demunt, & deturbant. Hinc invertunt, & componunt; mox pervertunt, & diſſipant, ac ſi Chriſtus eis indulſerit ſuum Vicarium in terris formare, & deformare, ut libet. Oh tempora, oh mores, oh quantæ libertatis exitium! Sed (quod caput eſt ſane lugendum) tenent adhuc in complexibus nomen Queſnelli, quem vident judicio Sedis Apoſtolicæ merito pœnam ſubiiſſe damnationis. Quis non intelligat ſimulate dici: Sanctorum Patrum ſequimur dogmata, ſed non diligimus facta; complectimur veritatem, ſed Queſnello impendimus vota? Conſimilibus verbis ſcribebat

(1) Hormisdas Pontifex ad Justinum Imperatorem de Constantinopolitanis, qui favebant Acacio, & stare pro sancta Sede falso profitebantur. Repetam pro coronide verba doctissimi Magistri Cano: (2) *Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos ecclesiæ, ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei, doctrinæque auctoritate succedere, aut certe astruunt summum ecclesiæ Pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in fidei judicio posse. Utrumque scilicet hæretici faciunt. Qui vero illis in utroque repugnant, hi in ecclesia Catholici habentur. Quamobrem non quidem intelligo, quonam consilio fideles quidam, hæreticorum, quam Catholicorum opinionibus favere malint. Nam hæretici, video, quid sequuntur; nempe vivendi, docendique licentiam, & in his omnibus impunitatem. Volunt sine capite corpus, ut neque pes, neque mens suum officium faciant. Volunt, sine Pastore uno, oves, ut cum lupi ipsi sint, pastores tamen esse videantur. Volunt sine judice lites, ut dissidiorum nullus finis sit: atque ita cum amoto arbitro adversus doctos dimicant, victores a turba judicentur. Turbari enim omnia volunt, quoniam, ut in Hispanorum proverbio est, Turbatum flumen, piscatorum est lucrum.*

M 2 *Nos*

(1) Epist. 26.
(2) de loci. Theol. l. 6. c. 7.

nuntiant cum Papa sunt fallibiles; quando vero accedunt assensu suo, infallibilitatem complent, atque perficiunt. Perversissimus ordo! Iterum hic quærimus: in quo textu S. Scripturæ, in qua parte traditionis legere sit, quod Papa sit infallibilis accedente Cardinalium assensu. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, inquit Christus Dominus, explicatque diserte S. Leo M. in hæc verba: (1) *Ita Dominus noster Jesus Christus humani generis Salvator instituit, ut veritas, quæ antea Legis, & prophetarum præconio continebatur, per Apostolicam tubam in salutem universitatis exiret: sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro, Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret; ut ab ipso quasi quodam capite dona sua, velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterii intelligeret divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ*

Dei

(1) Ep. 89. ad Ep. Viennen.

Dei in Petri soliditate consisteret; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verum hanc petræ istius sacratissimam firmitatem, domino, ut diximus, ædificante, constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id quod accepit a veteribus, non sequendo.

Sed quomodo Ecclesia particularis Romana dicetur vero elogio Mater, & Magistra cæterarum Ecclesiarum, veritatis, & traditionis fons, & interpres, si ad infallibilitatem judicii ex Cathedra nihil conferre existimatur? Respondeo: Ecclesiam Romanam omnium honorum titulis insigniri, & gaudere, quia a summo Pontifice intelligitur, in eam derivare dignitatis splendorem; ut alibi luculenter ostendimus. Cur autem sæpe a Patribus, ab ipsismet Pontificibus, & a Generalibus Conciliis, non ipse Pontifex, sed vel sedes, vel Ecclesia Romana compelletur; idcirco est, quia Pontifex vita decedit, Ecclesia vero vel Sedes Romana mortis est expers. Propterea quoties scripta Romam pervenerint referenda Pontifici, jam e vivis sublato, successor per sua rescripta rem pro suo munere absolvit; quin Ecclesia Romana in expediendis quibusque rebus se immisceat. Dicitur etiam

Ec-

Ecclesia Romana custos intemeratæ traditionis, quia compertum est, suis consiliis præsto semper fuisse summo Pontifici in rebus dubiis, & arduis, ut testatus est Stanislaus Hosius dicens: (1) *Habet ille Summus Pontifex, sicut Cyprianus loquitur, florentissimum Clerum suum una præsidentem, singulari doctrina præstantem: de cujus consilio, si quid gravioribus de rebus, præsertim de fidei causis, decernit, labi, & errare non potest.* Eminent inter omnes, & doctrina, & pietate, prudentia, & experientia, nedum dignitate amplissimi Cardinales, quibus apprime incumbit studio, & labore vires impendere, & super impendere, ut Pastoralis solicitudo excelsi capitis in omnes se explicet; & salva recta Religio, fides, & disciplina servetur.

Sed quid hæc ad necessitatem accessuri assensus, ut infallibilitas Pontificia sua gaudeat perfectione? Repellunt amplissimi Cardinales munus adeo inauditum; contemnunt hanc nefariam oblationem; dirisque devovent morosos auctores. Petrum venerantur, ut Pastorem Unum Universalis Ecclesiæ; sciuntque Petro, non Joanni, non Andreæ, aut aliis commissam fuisse curam pascendi, & docendi cunctas oves, & agnos. Spectat autem ad rectum munus docendi omnes, nemine excepto, ut divina adsisten-

(1) in Confess. fid. c. 28.

ſtente gratia ſpecialiter Pontifex Romanus afflatus veritates doceat, atque definiat; alias minime fuiſſet ſatis proviſum a Chriſto ſuæ Eccleſiæ, quia errante Supremo Paſtore, errare quoque ipſam Eccleſiam neceſſe foret. Norunt ampliſſimi Cardinales ſucceſſorem Petri eſſe Romanum Pontificem, eique ſucceſſionis Jure deberi omnia privilegia Petri, quæ Paſtorale perficiunt officium, cujuſmodi eſt infallibilitas judicii ex Cathedra. Ipſi quoque ſubeſſe ſe agnoſcunt, ut oves, ut agni, quibus incumbit regi, doceri, & obedire. Accedunt quidem ad Pontificias definitiones, ut par eſt, aſſenſu obedientiæ, ſed non aſſenſu, qui pondus præbeat infallibilitati, vel quidquam ponderis conferat; Quum ſe fallibiles agnoſcant, atque adeo impares adjiciendi Pontificio judicio indeficientiæ robur. Qui aliter ſapit, deſipit, & ampliſſimum Cardinalium Collegium maledictis inceſſit, & onerat. Finem imponat Leo IX. in hæc verba expendens illud Chriſti: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. (1) *Erit ergo*, inquit, *quiſquam tantæ dementiæ qui orationem illius, cujus velle eſt poſſe, audeat in aliquo vacuam putare? Nonnè a Sede Principis Apoſtolorum, Romana videlicet Eccleſia, tam per eundem Petrum, quam* per

(1) ad Michael Patriarch. Conſt. & Leonem Acridanum epiſt. 1. c. 1.

per Successores suos, reprobata, & convicta, atque expugnata sunt omnium hæreticorum commenta, & fratrum corda in Fide Petri, quæ hactenus nec defecit, nec usque in finem deficiet, sunt confirmata..? Quia sicut cardine totum regitur ostium, ita Petro & successoribus ejus, totius Ecclesiæ disponitur emolumentum. Et sicut cardo immobilis permanens, ducit, & reducit ostium, sic Petrus, & sui Successores liberum de omni Ecclesia habent judicium, cum nemo debeat eorum dimovere statum; quia summa sedes a nemine judicatur: Unde Clerici ejus Cardinales dicuntur, cardini utique illi, quo cætera moventur, vicinius adhærentes. Utique adhærentes, neutiquam judices, aut infallibilitatem judicii Pontificii per assensum conficientes.

§. XXIX.

Alia absurda deteguntur, & eluduntur.

ABsurda horrorem præseferentia allaturus, quibus moderni refractarii implicantur, animum despondeo: posse enim singula expendere, difficillimum est, quia & plurima, & ambagibus implexa se offerunt. Ut judicio Pontificio ex Cathedra lato ab Clemente XI. adversus Quesnellii editas propositiones, propudiosas affricarent con-

contumelias, omnem excogitarunt viam, ad elevandam infallibilitatis vim, & decus. Quemadmodum coluber, ut aggredientis robur effugiat, quaqua versum involvitur, donec exasperatus capta fovea evanescat. Audiamus quid eructaverint.

Alii ad Concilium Generale provocaverunt, ut fides debita dogmati pendula hæreret. Alii acceptationem Episcoporum exquirebant, ut assensu suo dogmaticum illud roborarent judicium. Alii præfata simplici acceptatione minime erant contenti, nisi Episcopi suo se tribunali sistentes, instructa causa, discussa materia in controversiam revocata, iterum ex integro sententiam suam ritu solenni pronuntiarent. Alii flagitant, ut singulorum Episcoporum orbis probaretur assensus. Quantus labor, ut in obsequium fidei flectatur diffidentium animus!

Singula breviter percurramus. Etiam Coriphæi modernorum hæreticorum perfricta fronte ad Concilium Generale appellarunt, sed coacto Tridentino Concilio, invitati ut accederent, datis verbis futilibus evanuerunt. Moras nectere est, contumaciam suam tueri est, futurum compellare Concilium, quod vel nunquam, vel adeo sero cogendum foret, ut nemo superstes esset judicio staturus. Sed, quod impudentissimum est nomini catholico; Nonne superciliosæ

pe-

petulantiæ est signum, dogmaticæ definitioni terga vertere, & insolenter refragari? Si Pastorem negamus, quem Christus instituit: si doctorem, & Magistrum repellimus, quem Patres nostri intemerata traditione venerati sunt: si judicem supremum controversiarum fidei insolenter despicimus; quo spiritu Christum legislatorem, & Magistrum dicimus, a quo hic ordo, hæc Ecclesia visibilis constituta auditur, & creditur?

Appellavit a dogmatico decreto Innocentii I. & Zosimi Romanorum Pontificum Eclanensis episcopus Julianus Pelagianorum (1) Primipilus, quum per literas calumniis undique exundantes conquestus est, a simplicibus Episcopis absque synodali conventu dogmata Pelagii damnata fuisse; adeoque postulare est agressus, ut orientales, & occidentales in unam universalem Synodum convenirent, plene de omnibus, præmissa diligenti discussione, agnituri, & sententiam laturi. Juliani technas, calumnias, perfidiam, S. Augustinus detexit, mendacissimumque hominem confutavit, atque confixit. Notanda sunt verba Augustini: Inquit enim: (2) *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi con-*

(1) Spond. ad an. 419. n. 5.
(2) l. 4. ad Bonif. c. ult.

congregatione damnata sit; cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit... Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum ... hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos orientis, & occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.

Appellaverunt Donatistæ a judicio Melchiadis, eosque perculit justissime Imperator Constantinus, teste Optato Milevitano, exclamans: (1) *O rabida furoris audacia! Sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Annon maxime inclamarent Augustinus, & Optatus, si a judicio dogmatico nunc appellare audirent; qui adeo excanduerunt pro appellatione Donatistarum, quæ fidem directe non spectabat?

Sed plus audet insolens pervicacia. Pelagiani atrocissime criminabantur Catholicos, tanquam Manichæorum hæreseos sectatores, ac propagatores. Donatistæ proclamabant suam ecclesiam, ut verum Christi fatum; in cæteros vero Catholicos schismatis probrum retorquebant. Quæ omnia signa sunt summæ perfidiæ, quæ malæ causæ pessimum solet advocare a contumeliis patroci-

(1) l. 1. de Unit. Eccl.

cinium. Hinc erudite, ac luculenter adversus Acacii Constantinopolitani sectatores, aliosque aliud Concilium poscentes, scribebat S. Gelasius: (1) *Nam si limitibus etiam præfixis positarum semel Synodalium regularum, non cessant elisæ pestes resumptis certaminibus contra fundamentum sese veritatis attollere, & simplicia quæque corda percutere: quid fieret, si subinde fas esset perfidis inire Concilium?*

Iisdem prorsus vestigiis insistunt moderni Quesnellistæ, antiquorum appellantium referentes imaginem. Constitutionem dogmaticam sanctissimi Clementis XI. ex ore Petri loquentis pronuntiatam carpunt, maledictis lacerant, imprecationibus insectantur, execrationibus impetunt, quia Jansenianam heresim jugulat; gratiamque sufficientem, qua redditur homo proxime potens operari bonum, aut a malo declinare, in tuto ponit, ut ex damnatis propositionibus plane fit manifestum. Charitatis jura custodit, quin moralis bonitas ab opere exulare dici debeat, si peccator, sine illa, bene se exerceat. Fidem recte instituit initium justificationis, sed non ut primam gratiam a Deo collatam, quum pluribus aliis supernaturalibus auxiliis dignetur summa Dei misericordia, cor hominis tangere, irrorare, emollire, ac prævenire. Spem tuetur incolu-

(1) Epist. 13. ad Episc. Dardan.

lumem, & si charitate sit destituta, ut peccator illi innixus erigere se possit, & a peccatorum cæno emergere satagat. Disciplinam, quam Quesnellus ad sua deliramenta accommodat, suis præscriptis regulis restituit. Obedientiam redintegrat, quam effrænem adversus Superiorum, & maxime sanctæ Sedis præcepta, & decreta, indisciplinatus Quesnellus designat. Demum, ut verbo cætera complectar, omnia ad fidei, morumque regulam laudatus Clemens Pontifex Maximus sua Constitutione *Unigenitus* edixit, decrevit, & sanxit; adeo ut totus orbis, universa Ecclesia in suæ debitæ obedientiæ argumentum Constitutionem *Unigenitus* plenissime laudaverit, devotissime amplexa sit, studiosissime probaverit, & religiosissime coluerit, Auctoremque suum Clementem XI. ut Pontificem undequaque doctrina, ac fidei propagatione celeberrimum posteritati consecraverit.

Plurimi tamen adhuc sunt, quos tanta integritas urit, tanta veritas excruciat, ut quum debellare non possint, oppugnare non reformident. Hujusmodi virulenti homines, sicut aspides surdæ obturantes aures suas, ne audiant summi Pastoris vocem definientem ex Cathedra, Pontificiæ detrahunt infallibilitati, Constitutiones Apostolicas conviciis verberant, & nefaria disseminant, ac si per Bullam *Unigenitus* pessundata jaceat

Moralis regula regendorum, sanctorumque Patrum traditio, & una cum Verbo divino extorris sit effecta. Hi sunt, qui infallibilitatem judicii ad placitum nequiter opinantium reducunt; nunc consensum requirentes Ecclesiæ; nunc Conciliare poscentes examen; nunc alterum uniuscujusque Episcopi expectantes judicium; nunc formulas fori præpostere exigentes; nunc ritum, nunc solennitatem ex tripode comparantes; Quando Christus paucis edixit: *Pasce oves meas. Confirma fratres tuos.*

Itaque Refractarii soli sibi sapientes, ab omnibus tanquam agrestibus se subducunt, ut ad infallibilitatem Pontificiam velut ad scopum collimando sagittas intorqueant. Hinc varia augent, & amplificant, mox demunt, & deturbant. Hinc invertunt, & componunt; mox pervertunt, & dissipant, ac si Christus eis indulserit suum Vicarium in terris formare, & deformare, ut libet. Oh tempora, oh mores, oh quantæ libertatis exitium! Sed (quod caput est sane lugendum) tenent adhuc in complexibus nomen Quesnelli, quem vident judicio Sedis Apostolicæ merito pœnam subiisse damnationis. Quis non intelligat simulate dici: Sanctorum Patrum sequimur dogmata, sed non diligimus facta; complectimur veritatem, sed Quesnello impendimus vota? Consimilibus verbis scribebat

(1)

(1) Hormisdas Pontifex ad Justinum Imperatorem de Constantinopolitanis, qui favebant Acacio, & stare pro sancta Sede falso profitebantur. Repetam pro coronide verba doctissimi Magistri Cano: (2) *Illud assero, ac fidenter quidem assero, pestem eos ecclesiæ, ac perniciem afferre, qui aut negant Romanum Pontificem Petro in fidei, doctrinæque auctoritate succedere, aut certe astruunt summum ecclesiæ Pastorem, quicumque tandem ille sit, errare in fidei judicio posse. Utrumque scilicet hæretici faciunt. Qui vero illis in utroque repugnant, hi in ecclesia Catholici habentur. Quamobrem non quidem intelligo, quonam consilio fideles quidam, hæreticorum, quam Catholicorum opinionibus favere malint. Nam hæretici, video, quid sequuntur; nempe vivendi, docendique licentiam, & in his omnibus impunitatem. Volunt sine capite corpus, ut neque pes, neque mens suum officium faciant. Volunt, sine Pastore uno, oves, ut cum lupi ipsi sint, pastores tamen esse videantur. Volunt sine judice lites, ut dissidiorum nullus finis sit: atque ita cum amoto arbitro adversus doctos dimicant, victores a turba judicentur. Turbari enim omnia volunt, quoniam, ut in Hispanorum proverbio est, Turbatum flumen, piscatorum est lucrum.*

(1) Epist. 26.
(2) de loci. Theol. l. 6. c. 7.

Nos autem communem Catholicorum sententiam sequamur. Tuto enim sequimur, quoniam communis Catholicorum est. Præterquam quod ea sentiunt, quæ sacrarum etiam litterarum testimonia confirmant: Pontificum decreta finiunt: Veterum sanctorum chorus concinit: Conciliorum Patres affirmant: Apostolorum traditio probat, perpetuus Ecclesiæ usus observat. Hactenus Cano; & omnino sic res se habet.

§. XXX.

Argumentum de retractabili Judicio Romani Pontificis per Concilium Generale prosternitur.

IRruunt adversarii, quasi ovantes de Victoria parta, quum infallibilitatem Pontificiam in judicium postremum Universalis Concilii resolvere conantur. Sibi confidentissime persuadent plurimas definitiones ex Cathedra Papæ, per Concilia Generalia fuisse prius serio, ac diligenti examine discussas, deinde per Patres unanimi suffragio probatas, & acceptas, firmitatem nactas esse, & infallibilitatis veluti sigillum acceptum a Concilio habuisse. Exempla exhibent in sententia Cælestini I. adversus Nestorium lata, discussa in prima Ephesina Synodo: In epistola dogmatica S. Leonis expe-

expensa in Concilio Chalcedonensi: In damnatione articulorum Lutheri a Leone X. promulgata, & in Concilio Tridentino iterum examinata, & retractata, & his similia producunt ad probandum, neque a Conciliis Generalibus admitti Pontificis Romani infallibilitatem, si ejus judicium posteriori judicio Conciliorum subjici fas sit, & reformari.

Quum alibi de hoc argumento agendum sit, nervosius, quam fuse, opportuna in præsentiarum congerere placet, quæ satis sint ad conterendum hostium conatum, quo infallibilitatem a Romano Pontifice exturbare aggrediuntur. Etenim primo statuere opus est, quotuplex sit rei alicujus discussio, vel examen; & qua mente exordiri contingat; & quo fine studium interponi necesse sit. Omnibus patet, a Theologis quæstiones plurimas excitari de divina existentia, de divinis personis, deque Dei attributis, quin ulla suspicio, aut dubium intercedat de veritate revelata eorundem. Ita a sacris expositoribus, imo a Sanctis Patribus Verba, & sensus Sacræ Scripturæ expenduntur, & investigantur, quin infallibili veritati ejusdem, quicquam vel minimum detractum velint. Secus alia in controversiam veniunt, quia de sui natura dubitationem involvunt, vel patiuntur. Hinc aliter, & aliter studiosus meditari solet,

vel ambigendo, vel controversias excitando. Nempe in re certa, ut contingit Theologis, & Sacrorum expositoribus: ut discant quomodo veritatem tutius assequi possint, & quid dicendum, & docendum sit, melius complectantur. In re autem, quæ liberæ disputationi, atque opinioni est tradita, indulgetur ingenii judicio, ut suo calculo comprobet, & confirmet, rejiciat, & expungat.

Ad rem nostram. Primi generis contendo esse, & fuisse quodlibet examen, aut discussionem a Conciliis factam de Papæ definitivis judiciis ex Cathedra. Id ostendo irrefragabili exemplo. In Concilio Lugdunensi Generali, præsidente Gregorio X. solenniter definitum fuit, Spiritum Sanctum æternaliter a Patre, Filioque procedere, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio; dictumque fuit anathema iis omnibus, qui temerario ausu aliter asserere, aut tenere præsumpserint. Quod & ipsi Episcopi Græci, cum Latinis convenientes professi sunt; & una voce cantatum fuit Symbolum cum additione *Filioque*. Prolapsi iterum Græci in pristinum schisma, pristinos quoque instaurarunt errores, donec tenente supremum Clavum Ecclesiæ Eugenio IV. lethargico somno exciti, in Concilio Florentino adunati, præhabitos ejuraverint errores, & schisma, ac unio-

unioni cum Ecclesia Latina sub uno, eodemque capite Romano Pontifice nomen dederint. In hoc Florentino Concilio retractatum plene fuit dogma de processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio æternaliter, tanquam ex uno principio. Explorati sunt codices Græcorum Patrum, discussa sunt verba, & sensus; enucleata fuit traditio; totumque impletum est, quod ad luculentum examen desiderari poterat. Cuncta patent in actis laudati Concilii. Dicet ne fortasse quispiam, decretum præcedens de processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, editum a Concilio Generali Lugdunensi, fuisse dubiæ adhuc veritatis? Vel ipsum Concilium Generale habitum fuisse, ut fallibilis judicii in fidei definitionibus? Nefas est id suspicari.

Quid ergo superest dicendum? Nisi affirmare, omnem peractam discussionem super dogmate processionis Spiritus Sancti, ex indulgentia Eugenii IV. fuisse, non ut in disceptationem inquisitionis veritas vocaretur, sed ut ob oculos errantium Græcorum omnibus instructa argumentis, inconcussa poneretur, ne in posterum, unde aberraverant, insciti redirent. Aliud exemplum præsto est (omissis sexcentis aliis) in dogmate transsubstantiationis in Concilio Lateranensi IV. juxta antiquam traditionem indicto; quod iterum in Concilio Tridentino

retractatum est, ut Canones dogmatici de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento ederentur contra Lutheranorum, ac Calvinistarum blasphemias; iique manifestissimi revincerentur erroris. Apertissime ac planissime id explicat Magnus Leo ad Marcianum Augustum scribens in hæc verba. (1) *Unde per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui Regni vestri est auctor, & rector, obtestor, & obsecro clementiam vestram, ut in præsenti Synodo* (Chalcedonensi) *fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini, quasi Dubiam, retractari, & quæ olim majorum sunt auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari.*

Eadem prorsus œconomia usus est Sanctus Leo M. permittens Concilio Chalcedonensi, ut suam dogmaticam epistolam ad regulas Sacræ Scripturæ, Patrum, & Conciliorum traditionis excuteret. Seu si mavis, dicam etiam, potuisse, & debuisse Patres Chalcedonenses expendere epistolam dogmaticam Leoninam, ut intelligerent veritati fundamentum, & pondus, sicque muniti, & instructi Nestorianos, & Eutychinos errores funderent, atque delerent; (2) *Ut vere a se prodiisse ostenderet, quod a prima omnium Sede formatum, totius*

(1) Epist. 43.
(2) Epist. 93. ad Theodorit.

Imo

Christiani orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti membra concordent: inquit S. Leo. Verum factum examen non potuit violare infallibilitatem Pontificiam, quemadmodum diximus de actis Concilii Florentini: Imo plane constat neque in animo fuisse Patribus Chalcedonensibus eam in dubium vocare; quia quum fuerunt bene edocti de veritate definitionis Magni Leonis, illico in ejus doctrinam concesserunt acclamantes: *Petrus per os Leonis locutus est: Credimus sicut Leo.* Et iterum clamaverunt: *Qui non consentit epistolæ Sanctissimi Archiepiscopi Leonis, hæreticus est: Qui non ei subscribit, hæreticus est.* Rursus omnium episcoporum vox intonuit: *Spiritus Sanctus definitionem dictavit: Qui non subscribit, hæreticus est.*

Verba eadem ingeminata legimus in sexta Synodo propter epistolam dogmaticam Sancti Agathonis; & in prima Ephesina Synodo in Sancti Cælestini I. obsequium. Quo hæc tendant, quilibet a sophismatibus solutus probe percipiet: nempe Patres Chalcedonenses post exactam cognitionem epistolæ Leoninæ, comprehendisse, ibi impressam legi infallibilitatem auctoris, adeoque nihil opus esse, quidquam adjicere, præter fidei professionem, & puram obedientiam intellectus captivati in obsequium, & fidei, & Romani Pontificis definientis

ex Cathedra. Ita conceptis verbis sincere narrat Evagrius, agens de gestis Synodi Chalcedonensis: (1) *In unum rursus congregati* (Episcopi) *primum responderunt ad rogatum Principum, de vera, rectaque fide doceri cupientium: deinde dixerunt, non debere quidquam amplius de causa Eutychis, semel ab Episcopo Romano conclusa, definitaque statui: In quam sententiam omnes quasi pedibus iverunt*. Addere placet responsum Episcoporum Galliarum. Misit S. Leo suam epistolam dogmaticam, de qua agitur, ad Galliarum Episcopos, qui, Ravennio Arelatensi Præside, in Gallia Narbonensi convenientes, per Synodicam Epistolam rescripserunt: (2) *Doctrinæ post Deum vestræ debet quisquis fidelis, ut constanter teneat, quod credebat; debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat; Et Apostolicæ institutionis luce perfusus, erroris sui tenebras derelinquat, magisque sequatur, & credat, quod per os vestrum Dominus noster Jesus Christus de Sacramento Incarnationis suæ docet, quam id teneat, quod Diabolus humanæ salutis, & veritatis inimicus instillat*. En perenne infallibilitatis Pontificiæ testimonium.

Ulterius ab adversariis scire aveo, cur tam acri conatu exaggerent examen factum a Con-

(1) l. 2. hist. c. 18.
(2) Inter epist. S. Leon. post 51. cap. 3.

Concilio Chalcedonensi super laudata epistola dogmatica S. Leonis, ut exinde dejiciant infallibilitatem Pontificiam, quando si hoc argumentum quidquam evinceret, æque infallibilitatem Concilii Generalis everteret; Quod sane improbant. In ipsos egregiam probationem proferam, quin ab adducto exemplo epistolæ Leoninæ digrediar. Peracta Synodo Chalcedonensi Ceretius sive Cyriacus Episcopus Gallus misit Epistolam S. Leonis ad Eusebium Mediolanensem, qui congregata Synodo Italicæ Diœceseos dedit Synodicam Epistolam, in qua, post expensam doctrinam ad apices Sacræ Scripturæ, & traditionis, declarant illi Patres, se solenniter illi subscribere. (1) *Domine sancte, & Beatissime Pater, placuit omnibus, quorum subscriptio subter annexa nomina poterit declarare, ut eos, qui impie de Incarnationis Dominicæ Sacramento sentiunt, quamvis intellectus sui pravitate a Catholicæ fidei veritate recidentes, se ipsos dignos abjectione fecerint, suo etiam consensu, auctoritatis vestræ præcedente sententia, damnatione congrua persequendos.*

Series hujus facti vel æque elevat infallibilitatem Papæ, & Concilii Generalis, vel neutri detrahit. Examen, consensus, Synodica subscriptio, Judicium, & hujusmodi posteriora ad judicium latum ex Cathedra, jugu-

(1) Inter epist. S. Leon. post 52. cap. 3.

jugulum petunt infallibilitatis Papalis, ut adversarii plenis buccis exagerant. Sed hæc omnia impleta etiam fuerunt post latum judicium Concilii Chalcedonensis, ergo pariformiter evanescit infallibilitas Concilii Generalis. Quid ad hæc respondere possint, non video. Sed veritate enitente dicendum est, omnia prædicta infallibilitati neutrius officere, quia ad discendum, & obediendum inducta sunt, neutiquam ad judicandum ex superioritate, super re jam finaliter judicata, & definita a Pontifice Maximo, vel a Concilio Generali.

§. XXXI.

Argumentum ex can. Si Papa confringitur.

IN collectione Canonum a Gratiano adornata legitur dist. 40. Si Papa deprehendatur a fide devius, poterit accusari, & judicari. In aliis vero culpis nullus mortalium ipsum redarguere præsumat, quia cunctos ipse judicaturus, a nemine est judicandus. Ex quo Canone infallibilitatis Pontificiæ æmuli exclamant. Ecquis inviolatæ fidei Doctorem, & Magistrum confiteri poterit, quem in fide defectibilem agnoscere cogimur? Si fides ipsum Roma-

num

num Pontificem indeclinabiliter non dirigit, erit ne credendum, quod alios in fide rectos constabiliet? Qui infirmus est, confirmabit ne fratres indeclinabili definitione, & irreformabili sententia? Vanum est igitur Romanum Pontificem affirmare defectibilem in fide, & simul asserere, illum esse infallibilis judicii, quum ex Cathedra pronuntiat.

Hæc tota vis, & series argumenti, cui præsto est aliud agumentum non inferioris efficaciæ ad enervandum impetum illius, & adversum conatum. Nemo est, qui non affirmet, singulos orbis Episcopos falli, & fallere posse, quum tot infausta exempla suppeditet historia, tam Ecclesiastica, quam profana. Identidem legimus 400. Episcopos Occidentales Arimini fuisse congregatos, ut de diversis formulis statuerent quid dicendum, aut tenendum esset, quo fides Catholica contra Arianam perfidiam incolumis, & pura custodiretur. Fere totus tam spectabilis Episcoporum cœtus lapsus est, subscribendo Arianæ Formulæ, quam Valens, & Ursacius Arianorum signiferi impudentissime comparaverant. His præmissis, Respondeant arguti adversarii: Quo genere ratiocinandi utantur, ut defendant infallibilitatem Concilii Generalis, quod ex Episcopis errori in fide obnoxiis coalescit? Quomodo pro certo accipi poterit judicium latum

latum ab iis, qui tot exempla suæ fallibilitatis posteritati præbuerunt?

Respondebunt sane, Episcopos esse quidem errandi defectu, ex culpa humanitatis, implicatos. Verum quum in Spiritu Sancto congregati, in unum conveniunt ad docendam, & dirigendam Christi Ecclesiam, speciali Dei afflatu adeo firmiter permoventur, ut certissimam sententiam in rebus fidei denuntiare non desinant. Aliter se expedire hujusmodi Sophistæ non possunt, nisi cedere argumento turpiter se patiantur. Eadem responsio Pontificiæ infallibilitati omnino quadrat. Potest Papa esse devius a fide, sicut & a recta ratione, utpote & ipse filius Adæ: quemadmodum Petrus potuit ab Ancilla decipi, & Christum negare. Attamen quum Papa suo muneri respondens tenetur ex Cathedra docere fideles, tunc induitur ex alto ipsis privilegiis Petri, quibus institutus est regere, & pascere Christianum Gregem, & fratres in fide valide, & indeclinabiliter confirmare.

Nonne prophetæ, quamvis homines infirmitate circumdati; imo nonne Balaam, Saul, Caiphas in impietate jacentes, propheticas voces infallibilis veritatis ediderunt? Nonne Apostoli in prædicatione Evangelii expertes fuerunt mendacii, etsi in conversatione reprehensibilis fuerit & ipse Petrus? Omnium causam afferam; scilicet quia spi-

ritus

ritus ubi vult spirat, & quomodo vult lumen menti præfert, ut agat, quin sciamus, unde veniat, aut quo vadat. Agitat Prophetas, ut veritati testimonium ferant, & immunitatem ab errore illis communicat. Agit Apostolos, ut mysteria disseminent, & immunitatem a mendacio eis donat. Imbuit Pontificem Romanum, quem constituit Pastorem, & doctorem omnium Fidelium, ut dirimat quæstiones de fide, controversiasque subortas finali judicio ex Cathedra definiat, suaque sententia Fratres confirmet: Eccur privilegium immunitatis a fallendi defectu, juxta Christi pollicitationem ei denegabimus? *Nonne in fide, & doctrina Petri*, scribebat Sanctus Thomas Cantuariensis Archipræsul, (1) *totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnes Christo in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei? ... Quicunque sit qui rigat, aut plantat, Deus nulli dat incrementum, nisi illi, qui plantavit in fide Petri, & doctrinæ ipsius acquiescit... Quidquid maximum fuerit, Romano Pontifici reservatur. Ordinem hunc Petrus docuit. Hunc usque modo Catbolica servavit Ecclesia, nec unquam autbore domino, quidquid moliatur iniquitas, subvertetur*. Prosequamur cætera ad levamentum an-

(1) Epist. 97. ad Episc. Cantiæ lib. 1. inter op. Christ. Lupi t. 10.

angoris. *In regno autem Anglorum* (utinam solum esset) *quod sine dolore multo ad mentem reducere, vel sine lacrymis dicere non valemus, multum præsumitur adversus Petrum. Sedis Apostolicæ, quantum in perversis potestatibus est, attentatur, & periclitatur authoritas.* Concordat ad rem nostram Joannes de Sarisberia ad Episcopatum Carnotensem evectus, Alexandrum III. compellans: (1) *Jus est, Pater, Jus est veras expromere voces, præsertim apud eum, qui amator, & patronus est veritatis, & cujus ministerio Spiritus Sanctus totius falsitatis figmenta condemnat.*

(1) l. 2. cit. tom. ep. 60.

§. XXXII.

§. XXXII.

Argumentum ab placitis opinantium Scriptorum petitum, nuper editum refellitur.

POst evulgatam Typorum defatigatione *de Privilegiis Romani Pontificis* duplicem dissertationem, insurgit Anonymus Scriptor, qui Opusculum inscriptum: *Infallibilitatis Pontificiæ justis terminis circumscriptæ explicatio, atque defensio: Dissertatio apologetica adversus novissimum Privilegiorum Pontificiorum Vindicem, Typis Bartholomæi Giavarinæ Venetiis publicatum; ad priorem librum de Pontifice Romano fallere, & falli nescio* vindicandum, oratoriis lacertis produxit in lucem. Totus in eo est, ut Opusculi præfati vires reintegret, & incolumitati restituat. Sed obtendentis opinionis prostratam causam labor nullus attollit; Blande tamen audire momenta, & congredi paratissimus est mihi animus, quia duntaxat instat amor constabiliendæ veritatis. Utinam talem, & tantum Virum devincire, & devocare a proposito valerem!

Arguit igitur anonymus Scriptor; Quid me pungis, ait ille, Si illigatam censui Pontificiam infallibilitatem consultationi, & assensui amplissimorum Cardinalium, Peritorumque studio, in definitione Quæ-

ſtionum de Fide, & moribus, ſi mecum in hac opinione pugnarunt, & pugnant eximii, atque celebres primi ſubſellii Doctores, & Magiſtri, qui ad unum hanc efferunt conditionem, tanquam medium Divino jure ſtatutum, Divinæque Providentiæ accommodatiſſimum, nec non humanæ prudentiæ neceſſarium, ne temeritatis, & oſcitantiæ periculum ſubeat Pontificia auctoritas? Tunc Papa ex officio, & ex Cathedra loquitur, quando agit ut Caput, utens ſcilicet auxilio membrorum. Hæc autem potiſſime Cardinales exprimunt, qui jure divino aſſident Romano Pontifici, tanquam Conſiliarii nati, & Conjudices Orbis Terrarum, ex quorum conſilis, & aſſenſu regit Papa, & gubernat Univerſam Eccleſiam. Igitur Conclamantibus (1) Illuſtribus Do-

(1) Cano de loc. Teol. l. 5. c. 5.
Driedo l. 1. de libert. Chriſtian.
Silveſter in Sum. V. Concilium, & l. 1. de Jurid. ver. Rom. Eccl. c. 15. & alibi.
Jo: Vigner. Inſtit Theol.
Thom. a Ss. Trinit. Contr. 237. Sect. 18.
Bellarm. de Sum. Pont l. 4. c. 2.
Albit. de Inconſt. c. 3.
Turrecrem. de Pot. Papæ l. 2. c. 112.
Cupers ad diſt. 79. de Card. art. 2.
Hoſius in Confeſs. fid. c. 28.
Alphons de Caſtro l. 1. adv. hær. c. 8.
Duall. de Pot. Papæ p. n. q. 3.
Dom. Gravin. in Clip. qu. 1., & 2.
Lup. in Dict. Greg. VII. Can. 22.
Cherub. Rom. ad Tit. de Conſult. prop. 2. §. 2.

Doctoribus & quidem Pontificiis Privilegiis addictissimis, Romanaeque Sedis strenuis Vindicibus, qui conceptis verbis se explicant asserendum est, Papam esse infallibilem accedente Romanae Ecclesiae, hoc est Cardinalium consensu; Et quidem indispensabiliter, & necessario simpliciter, ut infallibile haberi debeat, & dici Judicium Papae.

Haec summa argumenti, cui nihil aliud roboris inest, quod plene in hac ipsa dissertatione enervatum non fuerit. (1) Ubi Textus, Ubi Testes pluries ingeminavi? Nempe ubi textus Evangelicus, ubi Testis Oecumenici Concilii, vel Romani Pontificis Decretalium, quibus apprime dirimenda lis est in re dogmatica? Paucis dixit Christus Petro. *Tu, Petre, Pasce oves meas: Tu, Petre, confirma fratres tuos*, ut saepe innui. Quidquid post mille, & quadringentos annos addunt, demunt Doctores, etsi aliunde celebres, vel exposcunt, ut additamentum necessarium simpliciter ad infallibilitatem Papae efformandam, prorsus ad deformandam adinventum est, vera falsis immiscendo. Idcirco monui, (2) abstinendum esse ab eorum dictis excutiendis, quia in aestu contentionis scribentes post schisma plurimum humani passi sunt, quod perspicue mox ostendam ex eorumdem di-

(1) Supra §. 27. & diss. 2. §. 18.
(2) §. XI. Differt. 2.

discrepantia, de qua partite, definite, atque distincte differendum est.

Auctores citati, omnes ad unum loquuti sunt de prævia consultatione, vel de præambulo assensu in antecessum requisito ad finalem definitionem, quum quæstionem de fide, vel moribus Romanus Pontifex peremptorie exsolvit. De hac præambula Consultatione diserte, ac perspicue fatus sum (1) in hac ipsa dissertatione, illam laudando; & admittendo, ne inconsiderantiæ unquam argui posset Papæ judicium. Sed an hæc præparata Consiliorum, & assensus digestio necessario simpliciter, ut de Schola loquimur, prævenire debeat Judicium Papæ, ita ut si desit Cardinalium, vel Doctorum in Divinis, & decretis Consilium, & assensus, omnino evanescat infallibilitas a Papæ Judicio, non est una Doctorum prælaudatorum sententia. Alii etenim, & quidem numerosiores, ductore Sapientissimo Magistro Cano, acerrimo defensore Pontificiæ infallibilitatis, ultra necessitatem urgentis congruitatis non efferunt requisitam præmittendam consultationem; Alii (2) numero pauciores, qui destituti auctoritate evangelica, atque traditione primævæ antiquitatis, in novitate opinionis sibi complacent, usque ad necessitatem simpliciter con-

(1) §§. 6. 7. 8. 9. 27. 28. & 29.
(2) Alphons. de Castro, & Cherubin Rom. ex cit.

consulentium placitum pro judicii indeficientia sancienda per summam contentionem abripiunt, ita ut aliter definientem Pontificem fallibilem pronuncient. Frustra tamen id conantur, & fortasse præter animum, de quo fusius infra sum dicturus. Ut ut sit, cum Hieronymo scribente ad Damasum (1) clamito: *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere se dicunt, possem credere, si hoc unus assereret: Nunc autem duo mentiuntur, aut omnes.*

Patens exemplum dedi in Epistola Dogmatica Magni Leonis, (2) quam esse opus ejusdem Doctrinæ ac Sapientiæ nemo inficiabitur, nisi hospes in Ecclesiastica Historia. Perspectum id habuerunt Episcopi Galli ad eumdem Leonem scribentes in hæc verba: *Doctrinæ post Deum vestræ debet quisquis Fidelis, ut constanter teneat, quod credebat*, ut jam innui. (3) Perspectum id habuit Concilium Chalcedonense, quum per Patres conclamatum fuit: *Petrus per os Leonis locutus est*. Si quis dissentiat, sciat Jurisprudentiæ commune proloquium esse, inficiatori incumbere perspicue probare. Tunc sic insurgo. Potuit S. Leo, poterit alter æqualis, vel superioris sapientiæ per sese quæ-

 stio-

(1) Epist. ad Damasum.
(2) §. 30. Hujus differt.
(3) Supra §. 30.

stionem de fide, & moribus discutere, & explanare, eamque finali judicio definire. Igitur consultatio prævia, sive Cleri, sive Cardinalium, sive Peritorum non est adeo connexa, sive ut conditio, sive ut medium, cum infallibilitate judicii, ut si desit, ista evolare statim intelligi debeat.

Obstant, ajunt, ratiunculæ quædam ab humanis petitæ; nimirum de Jure divino naturali esse, quod caput suis membris utatur ad Corpus regendum, costodiendumque ab adversantibus contrariis. Cur igitur necessario, & semper non debebit Romanus Pontifex in judicio discretivo rerum fidei adhibere, vel Cleri, vel Cardinalium consultationem, & assensum sub interminatione delendæ infallibilitatis? Si ita est, Respondeo, fortius urgebit ratio in humanis. Scrutemur Scripturas, an divina Historia id nobis persuadeat. Certum est, Regem esse caput Populi ad regimen, defensionemque ejusdem institutum, ut leges ferat, & judicio subortas controversias finiat, ac peremptorie dirimat. Edoceri cuperem, an Salomon paratissimus, ac promptus ad quæcumque enigmata enodanda, & ad judicia promenda, probari possit usus semper Synedrio, vel Peritorum Consilio ad discernenda jurgia, vel lites, & ad leges condendas? Fortasse excipi poterit etiam Leo, dictus Sapiens, Græcorum Imperator, & quis alius. Ergo in uno, vel al-

altero fallit regula, & corruit ratio, quod satis est ad expungendam invectam necessitatem simpliciter, nempe quod Peritorum adjutorium, & Consulentium examen semper, & ubique præmittere necesse sit.

Itaque tot Doctorum illustrium opinio nullius erit ponderis, vel momenti? Ita plane. I. Quia Corda opinio est, auctoritate Evangelii, & traditionis penitus orbata. II. Quia in dissidiis Disputantium præcoci ingenio enixa opinio est. III. Quia communiori calculo, imo & Apostolicæ Sedis interminatione, ut exotica opinio habetur, IV. Quia secum ipsa discors, & inconstans opinio est. Alii quippe consultationem utcumque exposcunt, nihil de Consulentibus distinguentes: (1) Alii Concilia Episcoporum requirunt (2) Alii Peritos advocant, quicumque illi sint: (3) Alii Cardinales, & Episcopos simul, & Viros peritos expetunt: (4) Alii nonnullos Cardinales a Papa seligendos expostulant, absque Personarum acceptione. (5) Alii totum Cardinalium Collegium præscribunt convocandum esse, ut Consilium ferat, & sui consensus suffragium: (6) Alii tandem indicunt præmitten-

(1) Dom. a SS. Trinit. Driedo, Lupus, Hosius.
(2) Jo: Vigu. var.
(3) Bellarm. Albit. Duall. Silvester.
(4) Gravin. Cherub.
(5) Silvester. Turrecrem.
(6) Alphons. de Castro loc. cit.

dam esse consultationem Romanæ Ecclesiæ, videlicet, Cardinalium, Theologorum, Consultorumque, *uno verbo, majorum natu ejusdem Ecclesiæ, & Urbis,* (1) ut intelligi debeat Romanus Pontifex pronuntiare ex Cathedra. Iaque majores natu consulendi sunt; Sive sint docti, sive indocti; fortasse etiam sive sint Laici, sive Ecclesiastici, etsi myriadem æquent, ad dijudicandum judicio discretivo de rebus fidei, & adhibendi sunt. Et hæc probat vir doctus, tanquam per ipsum digesta, & propugnata in sua ipsissima *de Romano Pontifice falli, & fallere nescio,* dissertatione? Hæc devorat? Hæc propinat vir Sapiens in perniciem Pontificiæ infallibilitatis, ut dissonantia, & discrepantia obtrudantur? Malum! *Nam quum veteri astruitur recens ædificium, quasi surgenti reluctans oneri cedit.* (2) Quid? Quod si uniuscujusque opinionis placitum est admittendum, nonne semper (utar verbis Cano) (3) *novum examen, judiciumque recens postulabitur, ut de diligentia adhibita, vel non adhibita censeatur?* Quid absurdius?

§. XXXIII.

(1) Cherubin. Roman. loc. cit.
(2) Colum. l. 1.
(3) l. 5. c. 5. cit.

§. XXXIII.

Prosequitur præcedentis Objectionis eversio.

SI fas esset ex ruderibus antiquitatis, vel librorum quæcumque indiscreta, & incondita effodere, eaque absque debitæ investigationis trutina, & criterio in lucem promere, solo spectato auctorum nomine, quot inconstantes, incoctæque Sententiæ, imo quot errores, & hæreses non reviviscerent? Nonne Millenariorum Phantasma præclara priorum Christianæ æræ sæculorum ingenia invasit, & insanum esset mox in apertum exponere? Libido scribentium, neglecta inquisitio veritatis, oscitantia in expendenda Traditione, inscitia aliarum artium, a quibus plures conclusiones dependent, & alii similes defectus solent mentes hominum corrumpere, ne veritas suo, quo patet, splendore erumpat, & illucescat. Quo factum est, ut a sæculo decimo quinto dissidia, & schismata enitente adversus Pontificiam auctoritatem, in devias plerique abierint opinationes, dum eam defendere omissa Traditione molirentur. Videntes quippe Romanos Pontifices postremo in arduis uti consilio, & ope amplissimo-

ſimorum Cardinalium, Peritorumque ſt u-dio, obliti ſunt priſcæ antiquitatis, i n qua aliter res ſe habuerat.

Corruit proinde indiſcreta imaginatio. Ampliſſimi Cardinales non indigent indebito nitore, qui Pontificiam infallibilitatem diſturbet. Sunt utique Conſiliarii Papæ ab inſtituto dignitatis, infaticabiles Adſiſtentes Apoſtolicæ Sedi, ut præſto ſint, opem, conſilium, ſuffragium, aſſenſumque ferre, quum vocati fuerint, vel quum zelum, & amor ſui voti obedientiam offerre impulerit.

Quod ſi Cardinales Conjudices Orbis nominantur, ideo eſt, quia a Papa pluribus præficiuntur Tribunalibus judices Cauſarum ad Romanum Pontificem delatarum; non autem quia ſimul cum Papa intelligantur controverſias definire. Quemadmodum Apoſtoli Conjudices erunt in extremo Judicio, quia *ſedebitis & vos judicantes duodecim Tribus Iſrael:* dixit eis Chriſtus Matth. 19. quin futuri ſint Judices in proprio Judicio ejuſdem Chriſti Domini; niſi per approbationem, quod cæteris Sanctis erit commune, ut probat D. Thom. Comment. in dictum Caput Matthæi. His adde, morem fuiſſe Romanorum Pontificum appellare cæteros Orbis Epiſcopos agnomine *Coepiſcopi*, & *Comminiſtri*, quia in partem ſollicitudinis ſunt vocati, ſed numquid hæc

Pa-

Papæ dignatio infert, commune esse cum illis Ecclesiæ Romanæ regimen proprium Romani Pontificis? Nemo id dixit.

Sed quorsum hæc, ad coarctandam infallibilitatem Papæ adeo ut funditus everti necesse sit, si eorum desit, vel consultario, vel assensus? Ipsi amplissimi Cardinales diserte in hæc spoponderunt: Nam quum tempore Concilii Romani a Benedicto XIII. coacti, ortum fuerit dubium, an verbum *Consentiens* subscriptionibus addendum, argumentum Osoribus Pontificiæ infallibilitatis suppeditare per nequitiam potuisset, provide cautum fuit, exarata Schedula (1) Supplicis libelli ab amplissimis Cardinalibus, media etiam eorumdem subscriptione, qua declaratum fuit, nihil additum, vel detractum iri, in hac subscribendi Formula, Petri, successorumque inconcussis privilegiis, & præcipue infallibilitatis in definiendis quæstionibus de fide, & moribus: Verum instante improbitate temporis probe censere a verbo *Consentiens* abstinere, & verbum tantum *Subscripsi* substernere. Et id supplices a Benedicto Pontifice Maximo obtinuere; ut in actis factum est.

Hujus generis monumenta decebat Anonymum Scriptorem ad rem proferre; & si penitus ignorabat, abstinendum quoque erat a recolendo supplici libello alterius generis

(1) Sub die 27. & 29. May 1725.

neris, qui neque per somnium præsentem causam concernit, utpote quid aliud mutabilem disciplinam spectans, in quo quid obreptum, vel subreptum fallere potest Pontificem indulgentem.

Arguet fortasse quispiam: ergo poterit Romanus Pontifex, sui Juris compos, etiam inconsulte, inconsiderate, & ex abrupto ad definiendas res fidei devenire? Imperita consecutio? Nunquam id fuit, nunquam id erit: Qui infallibilitatis Privilegium elargitus est Petro, abunde providit, & providebit. Alibi consimili argumento (1) occurrimus, objiciendo exemplum Concilii Ariminensis, quod pene totum Arianam formulam subscribens probavit. Quid tum, si prævia Consultatio Peritorum erraret? Nonne tunc potius, & verius cogeremur dicere, *inconsulto*, *inconsiderate*, & *imperite* Romanum Pontificem procedere, si ad subscriptionem v. g. ferme 400. Episcoporum Arimini sedentium accessisset? Nonne ipsi Patres Generalis Concilii sæpe fuerunt disputantes, Consiliarii, & Judices? Acta Concilii Florentini, & plurium antiquiorum palam sunt, quæ id probant. Eccur S. Leo Magnus, Eccur S. Gregorius Magnus, aut si quis alius fuit, aut erit excellenti Sapientia præditus, alligandi sunt præviæ alienæ consultationi sub pœna inter-

(1) infra §. 14. Diss. 2.

tercidendæ infallibilitatis? Per os Petris jubemur audire, & credere; & hoc satis.

Tandem vergit disputatio ad enunciatam propositionem: *Papa est infallibilis accedente Cardinalium consensu*: Quilibet sui compos plane intelligere debuit, hic agi de consensu posteriori, neut quam de præcedente Pontificiam definitionem; Quemadmodum omnes ad unum intelligunt, eos locutos, qui ex adverso hanc aliam proferunt: *Papa est infallibilis accedente Ecclesiæ assensu*. Anonymus Scriptor æquivocationem diluere satagit, & de assensu consultivo prævio præfatum esse profitetur. Mirandum sane, quod in re dogmatica ludatur verbis, quod perinde est, ac in utramque partem claudicare. Iterum dico (Parcant Eruditi, si semel dicta, & repetita recoquere cogor præter regulas artis, quia surda morositas, vel præterit, vel dissimulat): Iterumque dico, quod præviam consultationem non abhorreo, non rejicio, sed honeste, congrue, concinne censeo præmittendam esse: Dicam etiam necessario, si Papa sibi impar sit, ad difficultates enodandas. Cæterum si de necessitate absoluta, & simpliciter sit sermo, allatam propositionem proscribo, damno, & diris devoveo: Neque ipse Anonymus ingenue hanc alteram proferre audebit: *Rex est conditor Legum, accedente Senatus, vel Procerum*

con-

consensu: quia utrobique satis constat, vel imminui, vel omnino deleri auctoritatis Privilegium; Utrumque manifeste, & invictis momentis, exemplisque ex monumentis Ecclesiasticis petitis probatum est. Opinatores ex adverso productos, primum tantum intendere, necesse est, ne ad commenta dilabi videantur. Quod si auctoritati cujuscumque Scriptoris standum est, monitum Sancti Leonis præhabendum omnino arbitror, quum scripsit (1) *Sed in hanc insipientiam cadunt, qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas literas, nec ad Evangelicas veritates, sed ad semeptisos reccurunt; & ideo Magistri erroris existunt, quia veritatis Discipuli non fuere.*

§. XXXIV.

Auctoritas Melchioris Cano, sensusque omnis excutitur.

Præ cæteris decet Sapientissimum Cano ab impacta culpa vindicare, quasi minoris habens Pontificiam Infallibilitatem, aliorum Consultationi tandem eam subjecerit, sive ut medio, sive ut conditioni illigandam. Propterea, ut intentum Ano-

(1) Epist. 24. ad Harian.

nonymus Scriptor assequeretur, sparsim verba egregii auctoris hinc inde abrasit, ut fucum lectoribus obijceret perditæque caussæ patrocinium compararet. Irrito tamen conatu. Vindex est Cano acerrimus Pontificiæ infallibilis auctoritatis, neque citra injuriam ejus doctrinæ fas est hujusmodi maculam injicere.

Inquirens Magister probatissimus Cano (1) an definitiones Papæ, vel Concilii, de fide, vel moribus prolatæ, habendæ sint in numero Sacrorum, & Canonicorum librorum, ut alicui Theologo sui temporis placuit, negativam complexus sententiam statuit inter utrosque latissimum discrimen; quia Auctores Sacri, uti Apostoli, Prophetæ, & Evangelistæ *ex proxima Dei, vel revelatione, vel inspiratione scribunt catholica Dogmata ... At Concilium, & Pontifex humana via incedunt, rationemque sequuntur, atque argumentando, verum a falso discernunt: Non enim existimandus est Summus Pontifex eam habere facultatem quæ in Apostolis, Prophetis, & Evangelistis inerat, ut proposita una qualibet de fide quæstione, protinus dignoscere possit, utra quæstionis pars vera, falsave sit: Sed adhibere potius consilium necesse est, & expendere utriusque Partis argumenta: tum deinde sequetur auxilium Dei, quod videlicet opus est, ut*

(1) l. 5. c. 5. de loc. Theol. § at hæc

ut Summus Pontifex in recta fide contineatur. In Concilio itidem non habent Patres mox quasi ex auctoritate sententiam, absque alia discussione, dicere: Sed collationibus, & disputationibus re ante tractata, precibusque primum ad Deum fusis, tum vero quaestio a Concilio sine errore finietur, Dei videlicet, auxilio, atque favore, hominumque diligentis, & studio confluentibus.

Nihil erat praetermittendum, aut dissimulandum, ne malae fidei argueremur. Sed notanda sequentia, quae statim prosequitur Cano: *Nam & Apostolis & Praesbyteris in Synodo Hierosolomytana congregatis non statim revelatum est, quid esset in Fidei causa decernendum, sed facta est prius, ut Lucas ait, magna conquisitio. Et in Nicaena Synodo, us Ruffinus tradit, per singulos dies agitabatur Conventus; nec facile, aut temere de re tanta statuere audebant Patres... ex quo perspicuum est, non dormientibus, & oscitantibus Spiritum Sanctum assistere, sed diligenter, & humana via quaerentibus rei, de qua disseritur, veritatem.*

Ex relatis verbis plene exulat necessitas simpliciter talis alienae consultationis Peritorum in Divinis, & Decretis, ut infallibilitas Dogmatis consurgat. Quemadmodum enim in Conciliis, Hierosolomytano, & Vicaeno tota disquisitio rei definiendae penes ipsos Patres, & Judices agitata fuit, quia

sibi

ſibi pares fuere ad neceſſariam inquiſitionem veritatis: Eccur Magnus Leo, & alter ſimilis Pontifex par ſibi ad diſcernendum verum a falſo, non poterit ſimul eſſe inquirens, & Judex in fidei momento? Pariformiter locutus eſt Cano de Concilio, ac de ſummo Pontifice.

Teſtem advoco ipſum Magnum Leonem, qui in hæc verba ſe explicat, auctorem Epiſtolæ Dogmaticæ ad Flavianum (1) *Quoniam Catholica Fides, quam inſtruente nos ſpiritu Dei per Sanctos Patres a Beatis Apoſtolis didicimus, & docemus, neutrum ſubiepere permittet errorem* ſimilia ſcripſerat ad Anatolium (2) expreſius ad Monacos Paleſtinos (3) & ad Julianum Coenſem Epiſcopum ſcripſit (4) *In cauſa itaque Fidei quidquid pro noſtro Officio agi potuit, & poteſt, juvante Domino, & ſolicite, & libenter exequimur. Propter quod, ſicut omnibus notum eſt, non deſtiti laborare, ut manifeſtate, atque defenſa Incarnationis Dominicæ veritate, omnis fraternitas, quid ubique tenendum, & docendum agnoſceret.* En ſtudium, & conſultatis Patrum, En diſquiſitio ſcripturarum, & labor. En diſcuſio veritatis, quam felicius potuit ipſe Leo

O præ

(1) Epiſ. 69. ad Marcian.
(2) Epiſt. 67.
(3) Ep. 97.
(4) Ep. 91.

præstare, quam si cujuscumque Doctoris popofcisset auxilium. En consilium a Cano petitum, ne credeatur dormientibus, & oscitantibus Spiritum Sanctum assistere. nunquam dixit celeberrimus Cano sedem Apostolicam non tantum Papam signare, sed una simul præsidentem Clerum, aut assistentes Cardinales, cæterosque adiutores, & consiliarios, quos vocare fas esset ad consulendum. Nunquam probavit, ut pote assumptum Pontificiæ infallibilitatis eversivum. *Nam si omnes Episcopi sunt Judices & idem est de Consiliariis, summus nimirum Pontifex tenebitur in ferenda sententia majorem partem Judicum sequi, eorumque doctrinam approbare.... Nego enim, cum de fide agitur, sequi plurimorum Judicium oportere..... Quo circa summus Pontifex majoris partis sententiam non tenetur amplecti; Imo sive pauci, sive plures ad errorem deflexerint, munus est Apostolici Antistitis ad veram eos fidem revocare: juxta illud, quod Petro dixit Christus. Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, & tu, non unum, & item alterum, sive paucos, sive multos confirma fratres tuos*. Inquit Cano (1)

Ex quibus invictum educitur argumentum; Duæ Claves commissæ sunt Petro, non cæteris Adiutoribus sed successoribus Petri in Romana sede, una scilicet potestatis, altera

(1) loc. cit. §. Verum.

ra discretionis. Si hæc supra quoscumque Judices, Episcopos, se exerit, ut coerceat, corrigat, discernat, & confirmet, ad veram fidem eos revocando; Ecquis supra Consiliarios quoscumque exerendam esse dubitabit, ut eos, veritate per sese comperta, ut Magno Leoni contigit, abijciat, vel ad consulendum non advocet? *Quam ob rem*, subdit Cano (1) *qui sive Pontificum, sive Conciliorum diligentiam fidei causa finienda in dubium vocant, eos necesse est omnia Pontificum Judicia, ac Conciliorum infirmare.... Nam Deus suaviter disponit omnia, simulque prospicit, & finem, & media ad finem necessaria.... sic omnino cum Ecclesiæ Fidei firmitatem fuerit pollicitus, deesse non potest, quominus tribuat Ecclesiæ preces, cæteraque præsidia, quibus hæc firmitas conservatur.... Itaque præstat semper Pontifex, quod in se est, præstatque Concilium, cum de fide pronuntiant; caditque causa, si quis & nostris aliter existimat... Item cum (Christus) dixit: Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua, procul dubio intelligimus id a Patre suo consecutum, ut quæ ad rectum de fidei quæstione judicium oporterent, ea adessent Petro omnia, sive a Deo, sive ab Homine expectarentur... Quibus ex rebus facile comprehenditur, cum Spiritum veritatis Christus Apostolis, eorumque successoribus in fidei negocio* O 2 *pro-*

(1) loc. cit. §. Alter.

promiserit , nihil omnino illis defuturum , quod Fidei Controversis finiendis fuerit necessarium. At si semel Hæreticis hanc licentiam permittimus, ut in quæstionem vocent, num Ecclesiæ Judices eam diligentiam, & curam exhibuerint, quæ opus erat, ut quæstio via, & ratione finiretur: Ecquis adeo cæcus est, qui non videat omnia mox Pontificum , Conciliorumque Judicia labefactari?

Igitur de mente Melchioris Cano firmissime tenendum est, promissionem Christi de fine, & mediis ad dirimendas Controversias Fidei, Petro datam, eo collimare, ut certissime largiturus sit Deus omnia ea, quæ ad discretorium Judicium possunt congruere; scilicet, vel sapientiam summo Pontifici, vel Patribus in Concilio adunatis, ut per se ipsum, vel per se ipsos valeant quæstionem agitare , veramque sententiam a falsa per diligentem inquisitionem Sacræ Scripturæ, & Patrum doctrinæ discernere; vel ab Homine, per studium, & consilium veritatem indagare. Primum implevit Leo Magnus, ut in confesso est & plura Concilia identidem expleverunt. Alterum frequentius occurrit. Quod satis est ad evertendam necessitatem alienæ Consultationis simpliciter. *Ita nunquam ego admittam, aut Pontificem, aut Concilium diligentiam aliquam necessariam quæstionibus fidei decernen-*

nendis omisisse; sigillat Cano (1) hoc est, sive proprio, sive aliorum studio, & diligentia id evenerit.

§. XXXV.

Quibusdam monitis ad Anonymum Scriptorem proposita disputatio absolvitur.

Præmonueram in Præfatione Opusculi *de Privilegiis Romani Pontificis*; *quod si quidquam asperum calamo excidere continget, parcerent Eruditi*; *Non enim ad contumeliam dictum velint, sed ad vim argumenti revocandum esse probabunt*: Hoc satis esse poterat, ut quisquis intelligeret, nihil detractum iri Auctoribus, sed opinationi jam dudum, & iterum censuris debitis, & proscriptione multatæ. Neque fas erat (Proborum sapientum advoco judicium) Censores, & proscriptiones latas jocose traducere, quia neque Filii, neque Discipuli erga Matrem, & Magistram Apostolicam sedem sapit indolem.

Opus in Præfatione notatum sub nomine Benigni Bossuet Episcopi Meldensis alteri adjudicavi, quia plures Apologiæ in Galliis editæ satis me docuere. Hæc latent Anonymum. Inscientiæ venians. Cæterum quum deformis opinio culpa non caret, & auc-

(1) loc. cit.

ctoritatem promptissime detestor, etsi infulatam.

Quid autem docendum, & tenendum sit in judicio infallibili de facto dogmatico, de quo agit Anonymus §. 9. pag. 54. opere prœtium iterum est, post superius dicta sermonem instituere de sensu doctrinæ & de sensu Auctoris, seu ab Auctore intento, diverse ille contendit disquirendum esse in facto Dogmatico; quia inquit, primus a Sacra scriptura, vel Patrum traditione, Decretisque Ecclesiæ emergere debet; Secundus vero per Leges Grammaticæ, vel Critices artem statuendus est. Sed distinctio futilis erit, si animadvertatur utrumque sensum doctrinam concernere, & ab eodem doctrinæ fonte effluere, necesse sit. Hic non est Sermo de una, vel altera propositione, quam præcipiti calamo excidere contingeret; sed de libro, in quo fuse, & continuo prava, vel sancta doctrina continetur, momentis suis afferta, & stabilita; puta, in pravis, liber Institutionum Calvini, & hujusmodi. Perinde est in Sanctis confutatio Pelagianis objecta a Divo Augustino pluribus in libris. Etenim quemadmodum dicimus locutum Deum in Sacris paginis, ita loquentes Sanctos Patres in libris suis audit Ecclesia ad traditionem firmandam: Ne cogamur evertere traditionem Ecclesiasticam, quæ est unum

ex

(1) §. 25.

ex præcipuis fundamentis Doctrinæ Catholicæ. Quidni igitur videt, & audit Ecclesia blasphemum Calvinum in suis Institutionibus, adeo ut nequeat Ecclesia definire, & sensum libri, & sensum Calvini, ut hæreticum, & impium infallibili Judicio? Nonne pariformiter Calvinum loquentem intelligimus in libro Institutionum, quas sacrilege scripsit?

Uterque itaque sensus, & libri, & Auctoris ab eodem corrupto fonte dimanat, & eamdem pravitatem doctrinæ loquitur; estque unus, & idem sensus cum sacris Paginis, cum traditione, & dogmate conferendus, ut cum istis pugnare percipiatur. Leges Grammaticæ, vel Criticæ artes potius inserviunt ad Criterium libri, quam ad Criterium Auctoris; unde comperto sensu libri per artem, qua verba scripta pravam doctrinam aperire dignoscuntur, & hanc cum Catholico Dogmate pugnantem intelligimus, statim unico contextu reum Auctorem cognoscimus, dignumque ejusdem cum libro sensus censura juxta Maximi Aquilejensis Episcopi sententiam in Synodo Lateranensi sub Martino I. latam ad versus Monothelitas secret. 1. *Ita namque Dominus ait, ex ore tuo judicabo te, & ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Contra Theodorum & Origenem in Santa V. Synodo accusator quidem*

nullus, ſed tantumodo eorum conſcripta ad accuſationem ipſorum, & reprehenſionem ſuffeciſe noſcuntur.

Hæc porro inferunt infallibile prorſus evadere judicium, ſive Romani Pontificis, ſive Concilii Generalis ſuper facto Dogmatico, vel ſenſum libri, vel ſenſum Auctoris, aut ab Auctore intentum, vel utrumque ſenſum comprehendente; ne afferamus aliam eſſe doctrinam in libro deprenſam, & aliam eſſe doctrinam Auctoris in eodem libro loquentis: ex quo neceſſario prodiret, tum laudem, tum probrum, vel tantum percutere folium inane, quod vento rapitur, vel Scripturas, traditionemque ſine Auctore ſpatiari in Eccleſia, vel Populorum fruſtrari fidem, quum Eccleſia eos docet execrationem, & deteſtationem Arii, Neſtorii, Calvini, Lutheri, aliorumque ejuſdem furfuris Hæreſiarcharum, quod eſt nimis abſurdum.

Præterea admiſſa diſtintiuncula, quod in facto dogmatico jus, nempe doctrina, ſubijci poſſit infallibilitati Judicii, neutiquam factum, nempe ſenſus Auctoris, aut ſenſus ab Auctore intentus, liberum hæreticis fieret a lato judicio reſilire, & apologias impune pro Hæreſiarchis contexere in Fidelium perniciem: Quemadmodum poſt Concilium Nicænum conati ſunt pro impiiſſimo Ario, Euſebius, & Theognius,

ut

ut alibi adnotavi (1). Ita plane censui, quum nonnullæ propositiones auditæ sunt, vel reijci, vel probari a Romanis Pontificibus, quia callida Proponentium ars, vel sincera aliorum expositio alterutram exigebat sententiam, ut supra innui. (2) Et ubi de judicio aliquorum Auctorum aliquam difficultatem excitari contingat, cautum quoque est apud Controversiarum agitatores, contendere quoque, nondum finali judicio damnatum, proscriptumque fuisse Auctoris nomen: Neque proinde dicendum est, aut errasse, aut errare potuisse Romanos Pontifices, vel Generalia Concilia.

Vigilium PP. hæsisse in facto dogmatico trium Capitulorum, quum judicium discretorium ageret, late in superioribus (3) disseruimus; sed aliquando errorem admisisse in Judicio decretorio, aut admittere potuisse, nemo dixerit Catholicus; quidquid haud digesta quæstione nonnulli male distinguentes inter factum simplex, & factum mixtum cum Jure, protulerint. Etenim semel dato, quod Ecclesia possit errare in facto dogmatico, non est cur negetur etiam potuisse errare in facto Janseniano: *de quo prodigio falsitatis, quis non videat,* *quæ*

(1) Sup. §. 25.
(2) §. 14.
(3) Sup. §. 14.

quæ opinionum monstra nascantur ? Cum Magno Leone (1) ingeminabo. Quod si nonnunquam consuevit Ecclesia proscribere libros, parcendo Auctorum nomini, ut contigit Theodorito Cyrensi, Ibæ Edesseno, Jansenio Iprensi, & aliis quampluribus, hoc ideo est, quia compertum fuit, primos dixisseAnathema Nestorio inConcilio Chalcedonensi, quem prius defenderant; postremum subjecisse Judicio Sanctæ Matris Ecclesiæ omnia per ipsum scripta. Qui usus parcendi Auctorum nomini adhuc viget, maxime quum de eorum pertinacia nullum scatet argumentum. Videantur dicta dissert. 2. Sequent §. V. & de his satis.

Cætera prætermitto. Exempla quippe Sacramentorum, quæ interpretationem Theologorum admittunt, circa intentionem aliasque circumstantias in eorum valido usu, quas necessarias simpliciter exigunt, non docent, ad circumscribendam limitibusDignitatem,Auctoritatemque Romani Pontificis. Iis prævivit traditio Patrum, & Ecclesiæ: Huic adversus traditionem, & Ecclesiam morosa dumtaxat conjectatio incumbit: Meminerit tandem censurarum spicula infra sub oculos collecta (2), quæ jecit, & jacit ferme tota Ecclesia; & interim cum Magno Leone (3) conclama-

(1) Epist. 25. ad Jul. Coons.
(2) In append. c. 8. & 17. (3) Epit. cit. ad Jul.

mabo *Præstabit, ut credimus, misericordia Dei, ut absque cujusque Animæ detrimento, possint adversum Diaboli dolos, & sana defendi, & vulnerata curari.*

§. XXXVI.

Postremum monitum Anonymo Scriptori pro veritate subijcitur.

VEritas, quæ suo nitet splendore, non indiget Scriptorum opinantium conjecturis, quando per sese nitide fluit ex Evangelico Textu, Patrumque perenni traditione, præterquam quidquid innovatur, perinde est umbris, & nebulis suffundi potius, quam splendidus corruscare. Ita plane contingit, quum Papæ infallibilitatem pugnantibus opinionum placitis quis contendit statuere; deinde cogitur illam, vel penitus evertere, vel immoderate ad incitas reducere, positis terminis, quibus circumscribi in animo est.

Auctor Opusculi, cujus in Epigraphe legitur: *De Romano Pontifice fallere, & falli nescio, constituit pag. 31. infallibilitatem in fide datam esse Petro, & Ecclesiæ simul.* Mox fatetur pag. 9. haud ægre concedere posse esse Pontificem errantem, quin Apostolica sedes, seu Ecclesia Romana in errore necessario consocietur. Ubi pri-

primo nervose evicit errorem dicentis Papæ in universam Ecclesiam perniciem diffusurum, pag. 6. Postea ex lapsu Papæ non infici Ecclesiam Romanam, aut sedem Apostolicam statuit. Deinde cap. 4. pag. 18. vult Petrum datum esse a Christo, ut Caput, Pastorem, & Doctorem Universæ Ecclesiæ: & mox excipit Ecclesiam Romanam intra ambitum Urbis conclusam, de qua prædicat pag. 9. quod *ipsamet sit Romana Ecclesia docens, judicans, & pronuncians.* Ergo Ecclesia hæc præ universali Ecclesia privilegio infallibilitatis, & Universalis Doctoris gaudet, incapax errore Papæ infici, quod universali Ecclesiæ minime conceditur, & si simul cum Petro infallibilitate donata asseratur. Hic recolenda sunt, quæ diximus in superioribus Paragraphis 6. 7. 8. 9. 27. & 28. ubi diffuse explicatum est, quomodo a Patribus, Romanisque Pontificibus acclamatum est Ecclesiæ Romanæ ut ab errore immuni.

Ad hæc: si Ecclesia hæc Romana simul cum Papa est ipsa docens, atque definiens, coarctat procul dubio Pontificiam infallibilitatem, illique eam asserit, vel mutuam cum Papa eam constituit, ac complet per modum unius principii in genere causæ efficientis, ut per se patet. Quomodo id negat Anonymus pag. 47. conceptis verbis, dicens: *Quanquam Ecclesiæ Romanæ assensum necessa-*

cessarium dixerim . . . assensum tamen illum, non originem, non causam effectricem infallibilitatis Pontificiæ dixi? Eccur intentio in Ministro non est dicenda effectrix causa Sacramenti, si ipsa est veluti forma, unde constituitur Minister in actu causa Sacramenti? Etenim licet per characterem institutus sit potens ad Sacramenta conficienda, ut tamen ea actu conficiat, per intentionem formatur, ne mimo ludenti videatur similis.

Iisdem vestigiis insistens Anonymus §. 3. pag. 15. & §. 5. pag. 37. nimia solicitudine urget, Cardinales, Consiliarios Pontificis dici, & Conjudices Orbis, ex quorum assensu universam regit Papa Ecclesiam, ac si a Christo infallibilitatis dono fuerint insigniti, ut in ipsis, & per ipsos sit Ecclesia Romana docens, definiens, ac pronuntians. Verum ubi sunt periti illi, ac sapientes, sive mitrati, sive non, qui pag. 18. ad consultationem vocandi sunt, ut consilio judicium ferre debeant, ipsamque Ecclesiam Romanam pronuntiantem instituere? Cur & ipsi Conjudices orbis, & Papæ Consiliarii pag. 15. non vocantur? Nonne & ipsi consilium, assensumque dare ex formula adstringuuntur?

Judex quilibet se dicit pro Tribunali sedentem, quum sententiam profert. Tribunal habet notarium, & fisci Advocatum in

Cri-

Criminalibus ſaltem, & in civilibus diſceptationibus habet clientes, conſulentes, & hujuſmodi. De Peritorum conſilio Judex pronunciat ſententiam ſubſcribens: *Ego pronuntiavi*. Dicat nunc Anonymus, ſi ſeſſio pro Tribunali, ſi Tribunal, ſi Notarius apprime in cauſa finienda neceſſarius, ſi conſulentes, qui ut plurimum in libris loquuntur, ac Judicem ducent, etſi vita functi, ſi Clientes, ſi Aſſidentes ſtudio, habiti ſunt unquam, & habeantur, ut conjudices in cauſa? Nemo erit Hominum, qui Modeſtinum, Labeonem, Ulpianum, alioſque legum conditores nec non codices conſulentium, & repetentium cogat ad conſtituendum judicem docentem, & una ſimul pronuntiantem.

Quid tum, ſi ad circumſcribendam Pontificiam infallibilitatem etiam Paradoxa fingere placeret? Sed quomodo præter omnes regulas ſtatuendum eſt, per paucos Theologos, per paucos Cardinales conflari Eccleſiam Romanam una cum Papa pronunciantem de fide; & eam infallibilitatem Petro donatam a Chriſto prorſus deleri, niſi cum Theologo, niſi cum Cardinali, niſi cum Conſulente, aut Mitrato, aut non Mitrato Papa ſit docens, & de fide pronuncians? Superi adeſtote!

§.XXXVII.

§. XXXVII.

Auctoritates per Anonymum allatæ penitius ponderantur.

PErsensit periculum hærendi in aqua Anonymus destitutus præsidio opinantium Scriptorum, circa judicium Romanæ Ecclesiæ una cum Papa, idcirco in aliam viam dilabitur, (1) in qua nonnullos faventes sibi conciliare conatur, quum dicunt, consultationem esse medium, vel conditionem, sine qua adpromissa gratia infallibilitatis in definitione de fide non aderit. Clavus Clavum detrudit: It recens opinatio præcedentem de conjudicio Romanæ Ecclesiæ expellit. De hac iterum ultra prædicta in mox præcedentibus Paragraphis 32. & 33. nonnulla contexere placet.

Primo inter citatos (2) ab Anonymo Doctores, expungendus est a Catalogo Melchior Cano, quem in superiori §.34. perspicue vindicavi ab impacto novellæ opinionis præsidio. Item expungendus est Jo. Viguerius, qui, ut dicitur pag. 11. infallibilem censet Pontificem, quando observat ritum in Conciliis Apostolorum, videlicet, quum vocat Concilia Episcoporum. Aliter, vel co-

(1) Cap. 4. pag. 17. & 42.
(2) pag. 42. n. 4.

cogetur Anonymus omnia Decreta, & Bullas Dogmaticas extra Concilia latas circumscribere, atque delere: Vel censorem habebit Augustinum Pelagianos sugillantem: (1) *Quasi nulla hæresis aliquando nisi synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit*: Mirandum sane est, quod hujusmodi præsidia congerantur, quæ destruunt Auctoris intentum.

Expungendus quoque est Silvester Prieras, qui, ut dicitur pag. 22. liberum relinquit Pontificis arbitrio adhibere, vel Galeratos, vel Mitratos assidentes, adeoque non cohæret Auctori, neque Anonymo, qui omnino Eminentissimos Cardinales assumendos esse arbitrantur; ut in locis superius citatis diserte constat. Imo expungendus est & ipse Anonymus, qui pag. 26 ex Silvestro errantem Anastasium secundum traducit, ut pote inconsultus communicasset Acacio; quia hanc ut puram putam fabellam rejiciunt, Baronius, Natalis, Pagius, aliique eruditi, sicut & quod divino nutu percussus obierit.

Expungatur Cardinalis Albitius, qui loco citato Anonymum pag. 13. diserte n. 24. cum Melchiore Cano pronunciat: *Neque oportet esse sollicitum, an summus Pontifex debitam diligentiam adhibuerit, & consulue-*
rit

(1) l. 4. ad Bonif. c. 12.

rit rem cum Peritis ... maxime enim ſpectat ad Divinam Providentiam .... ut non permittat omitti examina, & diligentias debitas. Quas ſi ipſe Pontifex per ſe ſe præſtare valuerit, nil ultra petit de neceſſitate Albitius. Expungatur Cardinalis Bellarminus citatus pag. 12. quia referens aliorum opinionem dicit, illos cenſere Pontificem debere facere, quod in ſe eſt, conſulendo viros doctos, & peritos: verum ſtatim ſubdit, procul dubio non poſſe Pontificem temere definire, quia qui promiſit finem, tenetur, & media promittere, ergo conſentit judicium finiri, ſive per conſultationem, ſive propria ipſius Pontificis diligentia, juxta doctrinam Magiſtri Cano jam ſuperius diſcuſſam. Expungatur Cardinalis a Turrecremata cit. pag. 19. qui præciſe loquitur, prout ordinarii moris eſt, ut explicant illa verba: *Et maturitate Conſilii, quod in bujuſmodi arduis materiis, quæ fidem tangunt cum Cardinalibus, & aliis doctis Patribus Romanus Pontifex ſemper babet*; Itaque de præſenti. An autem S. Leo, vel quis ſimilis in poſterum poſſit proprio ſtudio res fidei diſcutere, ac definire, neque inquirit, neque diſputat a Turrecremata; certiſſime non diſceſſurus a doctrina Magiſtri Cano.

Expungatur Jo: Driedo citatus pag. 27. qui nihil Anonymo favet, quia de alieno conſilio nihil petit, ſed tantum urget maturitatem, moderationem, & gravitatem

consilii, sapientiæ & deliberationis in fidei negocio, ut rectum judicium proferatur. Totum impletum fuit a S. Leone, ut probatum est. Ergo Peritorum alienum consilium non est simpliciter necessarium pro indeficientia Romani Pontificis. Ubi autem Driedo subdit, posse Papam, *ut homo est*, prædictum modum deliberationis omittere, absque dubio de Pontifice Leone Magno, vel de Gregorio Magno non est locutus, & ideo addi, *plerumque liceret literas Mandatorum Papæ definientis examinare*, si plerumque, nempe, quando Papa, ut homo privatus deliberat; ergo non semper hæc suspicio futura creditur.

Expugnatur Cupersius citatus ab Anonymo pag. 28. qui docet duas claves datas esse Petro a Christo Domino: una potestatis, alia discretionis. Optime. Mox infert Papam oportere Consilia Cardinalium exquirere. Tum sic insurgo. Si Clavis discretionis est propria Petri, quo jure ex necessitate consulendi sunt sub pœna infallibilitatis delendæ? Probet Anonymus clavem discretionis collatam esse a Christo Cardinalibus, ut possint dici Consiliarii necessarii Papæ, alias cum Cupersio nihil proficit.

Expungatur Stanislaus Hosius citatus pag. 29. qui tantum loquitur de Julio, & Pio, non de Magno Leone, aut de Magno Gregorio. Ubi Papa par sibi non est ad enodandas

das

das difficultates, vel traditionem excutiendam, utique habet florentissimum Clerum, ad dirimendas quæstiones idoneum, ut sæpius dixi. Sed quorsum hæc ad inducendam necessitatem absolutam consilii; quando de sapientiori Pontifice loquendum est, qui scientia totum Clerum excedere potest? legatur Epistola Dogmatica Agathonis Papæ ad Constantinum Pogonatum relecta in VI. Synodo actione IV., & quisquis percipiet, an possibilis sit Casus, in quo Pontificem Clero suo præcellere Sapientia contingat.

Expungi etiam debet ab opinione Anonymi Alphonsus a Castro citatus pag. 31. ubi integrum Collegium Cardinalium ad consultationem præviam assumendum requirit. Absurdam sententiam & ipse Anonymus rejicit, licet eam ad suum propositum pertrahere sit conatus. Alphonsum a Castro exprobrat Bellarminus loco citato, tamquam infensum Pontificiæ indeficientiæ, ut pote docentem, Pontificem ut Pontificem posse errare, & errasse definiendo absque Concilio Generali.

Expungi debet Andreas Duvallius cit. pag. 32. qui eodem loco ab Anonymo citato destruit istius intentum dicens, posse esse Pontificem ita doctum, ut se ipso *tamquam ex Cathedra possit definire*. Quid hoc juvat Anonymo contendenti, ut necessariam sim-

pliciter Peritorum Consultationem! Hanc tamen exquirit in materia excedente captum Pontificis, cui non refragor; sed juxta laudatum Cano.

Dominicum Gravinam cit. pag.35. omnino expungere oportet ab invecta opinatione. Nunquam ipse dixit, Peritorum consultationem necessariam esse simpliciter ad infallibile Judicium Papæ præformandum. Quod adeo verum est, ut art. x. in fine dixerit: *Secunda vero sententia veritatem continet, si sermo sit de sufficienti notitia, quam prærequiri non est dubium, sive propria, sive aliena informatione ministratam, ut ostendimus, & hoc statis est, ut non inanime definiens Pontifex asseratur instrumentum; & sic omnia consonant.*

Expungatur Dominicus a Sanctissima Trinitate cit. pag. 11. qui immediate ad verba ab Anonymo allata, statim subdit: non teneri tamen Papam Cardinales consulere *ex rigore, & necessitate*. Deinde sect. 4. cap. 16. §. 5. ubi ex professo agitat hanc quæstionem, aut Concl. 8. *si Pontifex ita doctus sit, ut se ipso adæquatas ejus definitioni diligentias præstare possit, tunc nemine in consilium vocato, nisi forsan ad melius esse, infallibiliter eum posse definire crederem*: ut quid hæc dissimulantur?

Ad Christianum Lupum cit pag.39. nunc inflectit sermo. Hic Auctor loco citato nihil

hil aliud quærit, nisi quid intellexerit Gregorius VII. in dictatu suo loquens de Ecclesia Romana, & Apostolica Sede. Ibi ostendit, qua majori, vel minori amplitudine accipi possit Ecclesia, vel sedes Romana nempe, vel pro Universali, aut Patriarchali, aut Metropolitica, aut Episcopali jurisdictione; & ideo ait ibi, intelligi locutum Gregorium pro sede habente suam synodum, quarum ipse est Præses, os, & lingua, dum ex assidentium judicio, ac suffragio aliqua profertur decisio. Quo dicendi modo etiam ex Cathedra loquitur Papa. Quid ad rem, de qua agitur, conferat Lupi sermo, nullus percipio. Nunquam dixit Lupus, Cathedram Petri semper involvere Synodum, ita ut sine Synodo, aut sine Consistorio Cardinalium nequeat de fide decernere. Igitur & hic Auctor expungatur a Catalogo recitato pag. 42. quia verius percipitur, seriem Doctorum inductam evertere opinationem ab Anonymo susceptam, quam defendere.

Cherubinus Romanus tandem producitur pag. 40. Hic advocat ad consulendum indefinite, *majores natu Ecclesiæ Romanæ, & Urbis*. Itaque totum Patriarchicum, Metropoliticum, & Episcopalem Cœtum Pontificis Romani ad constituendum infallibilitatem ejus judicii, compellit; & quum dejicere Pontificiam infallibilitatem nequeat, saltem orbem commovere intentat.

Estne ferendum, quod ab Auctore Catholico adeo confidenter deleantur tot Decreta, & Dogmaticæ constitutiones hucusque emanatæ, & imposterum emanandæ absque tam solemni consulentium coadunatione, & inquisitione? Igitur & iste expungendus est.

Sed quid luculentius dici potest ad eversionem assumptæ opinionis, quam ipsius Anonymi recessus a priori suo sensu? Videns enim, ac probe sciens productos Doctores minime probare necessitatem simpliciter alienæ consultationis ad infallibilitatem Judicii Pontificii, & pugnare ex adverso Epistolæ Magni Leonis exemplum toties superius laudatum, aliam, nempe, tertiam viam init, per quam sapientissime amplectitur sententiam Magistri Cano, dicens pag. 44. *In eadem cum Melchiore Cano Sententia fui semper l. 5. de locis Theologicis inscripta. Præstat semper Romanus Pontifex, quod in se est, dum de fide pronunciat ... sive a Deo, sive ab homine expectetur.*

Quid auctem docuerit in hac re doctissimus Cano, jam supra late exposui. Et sane nil aliud pro veritate infallibilitatis Pontificiæ, citra cavillandi periculum, dici potest, quam in sententia Cano persistere, cui omnes cordati Auctores cohærent; nisi velimus Ecclesiam hanc Romanam ad Aristrocratiam, imo Democratiam impellere, subi-

ſubituri deinceps execrationem millies laudati Epiſcopi Meldenſis, (1) adverſus Baſileenſes latam, ſimulque cum iſtis *ad hanc veſaniam* devenire, & pulcherrimam Eccleſiæ Monarchiam, politiamque nobiliſſimam abolere contendamus, quod abſit.

Hucuſque dicta ad pleniorem interjectæ quæſtionis ſolutionem tantum accipi velim: (2) *ut dum ea, quæ Catholica fides reſpicit, improbatis, intelligamus vos veris amicitiores eſſe, quam falſis; & id merito refutare, quod ex antiquæ inſtitutione doctrinæ etiam ipſe deteſtor.*

(1) Raynald. ad an. 1441.
(2) Leo. M. Epiſt. 97. ad Monach. Peleg.



DISSERTATIO SECUNDA DE ROMANI PONTIFICIS *AUCTORITATE* SUPRA CONCILIUM.

§. I.

Quæ, & qualis sit quæstio de auctoritate Romani Pontificis supra Concilium etiam Generale.

NOnnulli ex Theologis diffident, num quæstio de auctoritate Romani Pontificis supra Concilium disjungi possit ab altera de ejusdem infallibilitate, quum ex Cathedra, super controversiis ad fidem, vel mores spectantibus, supremum profert judicium. Alii enim unam ab altera separare non dubitant, & alterutram vel rejicere, vel defendere aggrediuntur, quin alteram probare, vel improbare, ut sibi blandiuntur, cogantur. Verum, ut opinor, hoc jus permittendi,

tendi, quod malit opinio in his quæstionibus, abhorret a vero. Longe enim distat ab iis principiis, & Theorematibus, quibus utraque quæstio necessario constabilienda est; utpote utrique communibus, ac perviis. Qui igitur infallibilitatem Romani Pontificis in docendo ex Cathedra tuetur, ejusdem etiam superiorem auctoritatem ad Concilium prædicare debebit.

Quæstionis præsentis caput in eo potissimum constitutum est: an summus Pontifex ex Privilegio jure successionis a Petro derivato, & ipsi Petro a Christo donato, nedum sit Pastor universalis Ecclesiæ, quoad omnes agnos, nempe Fideles in illa comprehensos; & quoad omnes oves scilicet Pastores, ad regendos particulares greges institutos, divisim numeratos; sed etiam ita sit Universalis, quoad omnes Fideles, & omnium Ecclesiarum Pastores collective acceptos, ut etiamsi omnes coadunati sint in Concilio Generali, sub Spiritus Sancti invocatione, universam Ecclesiam per Orbem dispersam repræsentantes, attamen ipse Romanus Pontifex supremus sit supra totum Concilium, tum auctoritate primatus Apostolicæ Sedi debiti, tum potestate jurisdictionis in totum illud spectabile corpus exercendæ. Quod idem est, ac dicere: esse superiorem Concilio etiam Generali, tam dignitate auctoritatis, quam potestate jurisdictio-

ctionis: eamque Pontifices Romanos nedum posse exercere, sed adhuc perpetuo exercuisse, ut est, & juris sui erat.

Ut in præcedenti dissertatione tetigimus, mos erat tantum hæreticorum arrogantiæ, & petulantis æstus provocare a sententia Romani Pontificis ad Generale Concilium, quemadmodum a Pelagianis, & Donatistis factitatum prodit Ecclesiastica historia. Per hujusmodi appellationes certo certius superiorem Judicem gestiunt esse Concilium, cum nemini jura permittant, vel ad inferiorem, vel ad æqualem Judicem, seu Tribunal expostulare. Sed primi, qui ausi sunt in Romani Pontificis supremam auctoritatem, jurisdictionemque sævire, fuerunt Ariani Eusebiani, qui se subducentes e Concilio Sardicensi, Philippopolim convenerunt, ibique anno 347. (1) conventu habito, quem Sardicensem Synodum non erubuerunt nominare, Julium Papam anathemate percellere ausi sunt. Hac insolenti agendi ratione Pontificem Romanum subesse Concilio indigitarunt.

Quo fato hæc appellandi prurigo ad Catholicos tandem devenerit, non est hujus loci differendi tempus. Extra dubium tamen est, nonnisi ex inobedientia, contumacisque animi effervescentia filiorum erga Patrem, subditorumque erga supremum Pa-

(1) Sozomen. l. 3. c. 10.

Pastorem, contigisse dissidia, unde appellandi conatus suborti leguntur. Qui hanc noxam studuerunt detergere, duplicem modum appellandi adinvenerunt. Unum per provocationem ad Concilium excluso Papa; alterum per expostulationem ad Concilium, ipso Papa præsidente, & capite. Primum appellandi modum, ut schismaticum agnoscunt, & reprobant: Alterum, ut juri consonum admittunt. Futilis plane distinctio. Schisma est provocare ad Concilium sejunctum a Papa, nec vidente, nec præsidente; eccur flagitiosius crimen non erit, subjicere Papam præsentem, vel præsidentem Concilio, auctoritate sua adunato? Est ne prætereundum illud Innocentii I. ad Victricium Rothomagensem: *sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cujus in omnibus debet reverentia custodiri*? Est ne silendum illud Ivonis Carnotensis Episcopi in hæc verba scribentis? (1) *Judicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia docente didicimus. Si qui aliquando se prægravatos ex ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant; & inde expetant levamen, unde se conquerun- tur accepisse gravamen. Quoniam quæ aliquando corripit paterna severitate, eadem fre-*

(1) Ep. 159. ad Paschalem II.

frequenter colligit materna pietate.

Idem Sanctissimus Antistes, Pontificem Romanum alloquens ait: (1) *Non est meum adversus vos intrare in judicium. Malo enim Episcopatui renuntiare, quam iram vestram juste, vel injuste sustinere.*

Quæ omnia sigillat S. Thomas Cantuariensis, ad Gilbertum Londoniensem Episcopum scribens: (2) *Non est sub Sole qui de manu Summi Pontificis possit eruere. Solus infidelis, aut qui eum superat, hæreticus, aut schismaticus Apostolicis obtrectat obedire mandatis.* Adeo præclara testimonia, esto alibi recensita, nunquam piget repetere.

Prosequamur cætera quæstionem respicientia. Luctuosum schisma sub initium sæculi decimiquinti, ob trium Pontificum, de Papatu contendentium æmulationem acerrimam, impulit plerosque doctos viros, ad excogitandam viam, qua validius expedire possent Ecclesiam ab illa teterrima Fidelium scissura. Præivit Academia Parisiensis, cui etiam Bononiensis se adjunxit, docendo, teneri contendentes Pontifices, qui tunc temporis, nimirum anno 1409. erant tantum duo, Gregorius scilicet XII. & Benedictus XIII. ut nominabantur, renuntiare Papatui; & quatenus recusarent, subji-

ci

(1) Epist. 67. ad Urbanum II.
(2) l. 1. Ep. 122.

ci Concilio, tanquam ſchimatis auctores, hæreſiſque ſuſpectos; adeoque, ut de his criminibus manifeſtos Reos, ab Eccleſia judicari, & deſtitui poſſe. Coacto deinde Piſis Concilio dictum fuit in illos depoſitionis, ſeu dejectionis judicium. Res minime voto ceſſit; etenim dejecti Pontifices in ſua, ut tunc dicebatur, obedientia perſtiterunt: & quum electus fuiſſet in Pontificem Petrus de Candia, Alexander V. nuncupatus, flagitioſum ſchiſma vires ampliores recollegit, in Geryonis monſtrum translatum. Tandem in Concilio Conſtantienſi reddita eſt pax Eccleſiæ, perſtante tamen opinione utrique Concilio, ut aliquibus videtur, innixa de auctoritate Concilii ſupra auctoritatem Papæ; de quibus fuſius alibi agendum eſt.

Quid Lutherus molitus ſit, ut dignitatem, auctoritatemque Romani Pontificis dejiceret, & quaqua verſum proſcinderet, ſatis oſtendunt illius blaſphemiæ, quibus ſcatent Centones omnes ab eo compoſiti. Primo geſtiit Papam ſubjicere Concilio, quod appellavit; mox quum vidit coactum Tridenti Concilium, illud quoque execratus eſt; reliquens poſteris argumentum, hominis intemperantis, & indiſciplinati ingenii, Judices quidem quærere, ut tempori ſuam cauſam commendent, neutiquam ut inveniant ad judicandum paratos.

His

His prælibatis moneo: Nostram constantem sententiam esse, Romanum Pontificem superiorem esse Concilio, potestate, auctoritate, & jurisdictione. Hoc in præsenti, quam adornamus, dissertatione demonstrabimus, & ab objectis vindicabimus.

§. II.

Ex Evangelico Textu Pasce oves meas *probatur, Pontificem Romanum superiorem esse Concilio Generali.*

NE verbis ludamus; Concilium Generale appellamus, quod legitima auctoritate coactum est, & cui interesse possunt omnes Orbis Episcopi de jure, esto non omnes convocentur, quum sit ferme impossibile. Pro nunc satis est has conditiones proferre ad præsens intentum.

Christus Dominus plura Petro adimpleturus promiserat, sed tandem, ut habetur Jo: ult. Pontificium ei tradens, dixit: *Pasce agnos meos*: *Pasce oves meas*. Ergo omnes, quia omnes Christi sunt. Hæ omnes universitatem, & unitatem constituunt, docente divo Bernardo: (1) *Tu es, cui oves creditæ sunt. Tibi universi* (greges) *crediti: Uni Unus. Sed & Pastorum. Tu*

unus

(1) loc. cit. de Consid.

unus omnium Pastorum. Cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, & uno Pastore .... denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, una contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens. Sanctus Bernardus doctrinam hanc mutuatus est a priscis Patribus: Nimirum a Sancto Cypriano, qui de Unitate Ecclesiæ scripsit adversus schisma Novatianum, per divisionem Cathedræ Petri, idest Pontificiæ dignitatis, unitatem quoque scindi Ecclesiæ. Mutuatus itidem est a Sanctis Optato Milevitano, & Augustino, qui nervose contra Donatistarum schisma scribentes, egregie unitatem Ecclesiæ extulerunt, celebrarunt, & tutati sunt, ut incolume unum ovile Christi, juxta fidei regulam, profiteremur.

Hæc igitur est illa universitas, quæ unum ovile constituit sub uno visibili Pastore, cui dictum est: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas*. Uni unum, ut docet Bernardus. Quid autem complectitur hoc unum ovile? Non aliud certe, quam universam Ecclesiam Fidelium, de qua, inquit Bernardus, dictum est: *Una est Columba mea, Formosa mea, perfecta mea: ubi unitas, ibi perfectio*. Universitas itaque Ecclesiæ, unitatem dicens, & explicans, sub uno Pastore degit, ut profiteri necesse est, qui constitutus fuit primo a Christo Domino, nempe.

pe Petrus, & in ejus dignitatis, auctoritatisque plenitudinis privilegium Romani Pontifices succedunt.

Ad nostra redeamus. Si Romanus Pontifex ex divina institutione, ut Pastor eminet unitati, & universitati Ecclesiæ, & ut Pastor, superior necessario est cuncto ovili, tum potestate, tum auctoritate, & jurisdictione; Cur quoque non erit necessario supra Concilium? Concilium quacunque universalitate gaudeat, nunquam omnes Episcopos Orbis comprehendit; nunquam omnes fideles, uno verbo: Nunquam est ipsa Ecclesia Catholica. Propterea ipsum Concilium se dixit, repræsentare totam Ecclesiam. Tunc sic insurgo: Romanus Pontifex, imo ipse Petrus in suo successore adhuc vivens, dignitate, auctoritate, & jurisdictione, ut Pastor a Christo institutus, supereminet, & est supra ipsam Ecclesiam, quæ est suum ovile. Cur igitur dicere quis poterit, non esse supra illud, quod repræsentat Ecclesiam, cujusmodi est Concilium? Qui est supra Prototypum, non erit supra imaginem? Episcopus, qui est supra suum gregem, non erit supra Synodum suæ Diœcesis? Rex supremus, qui est supra suum Regnum, non erit supra suum Magistratum? Si hæc non admittantur, actum est de quiacunque superioritate, quæ sub Cælo est; omnia susdeque misceri liberum erit, quod omni-

omnino ratio abhorret, & pertinacissimos quoslibet coercet.

Audio adversarios reponere; Papam esse quidem Pastorem Ecclesiæ, sed insuper esse membrum Ecclesiæ, principale quidem, utpote caput, ideoque non posse esse supra Ecclesiam, quum nullum membrum sit supra corpus. Horrendum dictu! Divus Augustinus contra (1) Donatistas probat, Christum esse Caput Ecclesiæ, istamque esse corpus ejus. Itaque si Christus, ut caput, suam Ecclesiam in corpus suum erigit, Christus ipse non erit supra Ecclesiam. Quis hanc feret consecutionem? Imo dicendum est: Quia Christus est Caput, est supra Ecclesiam: & quia Papa est caput, supra totam Ecclesiam esse debet superior; est enim caput, quia Pastor, quemadmodum Christus est caput, quia est Salvator Corporis, inquit Augustinus. Si igitur, ut Salvator est supra Ecclesiam, etiam, ut caput, eadem superioritate guadebit. Ita quoque de Papa erit dicendum. Si Papa est caput, quia Pastor est Ecclesiæ, eodem jure, quo, ut Pastor, agnoscendus est supra Ecclesiam, affirmandum valide est, supra Ecclesiam esse etiam, ut caput est ejusdem.

Hinc jure a Patribus definitam potestatem Petri legimus, ut totam collective Ecclesiam sibi subjectam respiceret. Divus

Q Joan-

(1) l. de Unit. Eccl. c. 2.

Joannes Chrysostomus de Petro ait: (1) *Ecclesiæ futuræ Pastorem* (Christus) *constituit*: *Hunc* (scilicet Petrum) *universo terrarum Orbi Christus præposuit*, cujus causam præferens, ait: *ut futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus pastor, & caput piscator Homo, atque ignobilis, terrarum Orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet. Hæc quippe omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum.*

(2) S. Maximus Taurinensis: *Quanti igitur*, inquit, *meriti apud Deum suum Petrus erat, ut ei totius Ecclesiæ gubernacula traderentur.*

S. Gelasius PP. scrisit: *Pro Sedis Apostolicæ moderatione, totius ovilis dominici curam sine cessatione tractantes, quæ* (3) *Beato Petro Salvatoris ipsius nostri voce delegata est, & tu conversus confirma Fratres tuos: Et item: Petre amas me? Pasce oves meas.*

S. Gregorius M. inquit: (4) *Cunctis Evangelium scientibus liquet, quod voce Dominica Sancto, & omnium Apostolorum Petro Principi Apostolo totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur: Petre amas me? Pasce oves meas.*

Theo-

(1) Hom. in c. 16. Matth.
(2) Hom. 3. in Natal. SS. Petri, & Pauli
(3) Epist. 5. ad Honor. Episc. Dalmat.
(4) l. 4. Epist. 32. ad Mauritium August.

Theophylatus ait (1) *Quum prandii finem ipse* (Christus) *fecisset, totius Orbis ovium Præfecturam Petro committit; non autem alii, sed huic tradidit*. Unde alibi Petrum *Mundi Præsidem compellat*.

Coronidem addat (2) Innocentius III. ad Græcos Prælatos scribens: *Ad conservandum autem in ea* (Ecclesia) *mysterium unitatis, unum eidem, Beatum Petrum videlicet, Dominus caput instituit, & Magistrum, cui oves Christi, dicente Domino, Pasce oves meas, sunt sine distinctione commissæ; alienis ab ovili dominico reputatis, qui Petrum in suis successoribus non agnoscunt Pastorem*.

Frustra in re adeo manifesta ulteriora quærimus testimonia.

§. III.

Ex quo Romanus Pontifex est Vicarius Jesu Christi, supra Concilium est.

PIus IV. Pontifex Maximus, juxta mentem Concilii Tridentini formulam edidit Professionis Fidei ab omnibus Episcopis, & Synodis, aliisque, in Fidei suæ testimonium, recitandam. De Romano Pon-

(1) in c. 21. Jo:

(2) l. 4. Regest. 16. ep. 105. ad univers. Episc. Græci Imper.

Pontifice ibi legitur: *Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro*. Ad caput igitur Religionis Catholicæ pertinet, profiteri Romanum Pontificem esse Jesu Christi Vicarium. De Concilio nemo unquam id dixit; (1) Imo cum ipsum Concilium solide statuerit, se repræsentare universam Ecclesiam, proprie vicem Ecclesiæ referre, de Concilio affirmabimus. Quo posito, ulteriora ita persequor: Pontifex Romanus est Vicarius Jesu Christi: Concilium generale est veluti Vicarius ecclesiæ (si fas est dicere ad explicationem argumenti:) Si Concilium est supra Papam, necessario Ecclesia est supra Christum. Ubi enim vicarium Ecclesiæ præferri oporteat Vicario Christi, Christum subjicere Ecclesiæ cogimur, ne deterioris admittatur conditionis principale, quam accessorium, Ecclesia scilicet ipsa, quam Concilium, contra omnia Jura. Quis hæc figmenta vorabit?

Explicat Sanctus Leo M. (2) quam eminens fuerit illa potestas vicaria, qua a Christo Domino donatus fuerat Petrus, quem in hæc verba nomine ejusdem Christi alloquitur: *sicut Pater meus tibi manifestavit divini-*

(1) In act. Conc. Constantien. Pisan. & Basileen.

(2) Serm. 3. de anniv. assumpt.

divinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuum. Quia tu es Petrus; ideſt quum ego ſim inviolabilis Petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere, tamen tu quoque Petra es; quia mea virtute ſolidaris, ut, quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia. Perſpicue extrema hæc verba comprobant, collatam Petro eſſe plenitudinem poteſtatis, qua majorem in terris non eſt adinvenire; eſt enim poteſtas Chriſti eminens auctoritate, fortis jurisdictione, nullis reſtricta limitibus, propria Unigeniti Filii Dei carne circumdati, participatione cum Petro communis. Ecce quam late patet Petri poteſtas, atque privilegium! Hanc fuiſſe Concilio expreſſe traditam Evangelium nullibi prodit. Adcirco præſtare Petrum Concilio, uti Chriſti Vicarium, ex Evangelio, & ex fidei profeſſione totius Eccleſiæ diſcimus; neutiquam Concilium Petro ſupereminere colligimus.

Reponet quiſpiam, in edita Pii IV. fidei profeſſione legi adhuc: *Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam Romanam omnium Eccleſiarum Matrem, ac magiſtram agnoſco.* Quibus verbis ſatis intelligitur, a quo doctrinam, & magiſterium expectare fideles teneantur, & in quem ſuæ fidei firmitatem referre debeant acceptam, ſuperio-

remque Papæ agnoſcere. Fallitur tamen quiſquis hæc exadverſo opinatur. Non inficior, fidelium officium eſſe, agnoſcere Eccleſiam Catholicam, nempe univerſalem, ut certiſſimam Matrem, in cujus gremio vivimus, & ut infallibilem magiſtram, cujus doctrina imbuimur. Cardo tamen difficultatis eſt, quodnam ſit diſcrimen inter magiſterium Eccleſiæ Catholicæ, & Magiſterium Romani Pontificis, ac inter utriuſque infallibilitatem. Eccleſia Catholica ſub Papa ut capite edocta a Chriſto, ejuſque Apoſtolis de fidei myſteriis, ea tradit filiis ſuis, & ſine invidia communicat, ut omnes idipſum ſapiant, & in unitate fidei adoleſcant. Huic magiſterio debetur infallibilitas, quam Scholæ phraſi vocamus paſſivam, pront unuſquiſque profitetur, amplecti, & credere, quidquid credit, tenet, & prædicat Sancta Catholica, hoc eſt univerſalis; Apoſtolica, hoc eſt ab Apoſtolis fundata; Romana, hoc eſt a Romano Pontifice, clavum tenente, adminiſtrata Eccleſia. De Romano Pontifice, ut Paſtore, & Rectore Eccleſiæ, ejuſque Magiſterio aliter loquamur oportet. Etenim ſi emergat aliquod dubium in re vel fidem, vel mores ſpectante, regulam loquentem, & Judicem infallibilem, infallibilitate activa, hoc eſt docentis, & finaliter dirimentis, neceſſe eſt conſulere, qui judicet Judicii veritatem, ut juſſit

jussit Dominus Deuter. c. 17. Hic est Romanus Pontifex, cui in altera parte professionis fidei obedientiam spondemus, atque juramento obstringimur. Huic ineluctabilis veritatis principio, alterum subjiciam: Nimirum ipsam Catholicam Ecclesiam, ut universitatem fidelium importat, Romano Pontifici subesse debere, ut Judicium præstoletur, si difficile, & ambiguum quid esse perspexerit, illudque statim ac pronuntiatum sit, amplecti, & sequi. *Neque declinabis ad dextram, neque ad sinistram; qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo; & decreto Judicis, morietur homo ille*: ut legitur cit. cap. Deuter.

Porro si ipsa tota Ecclesia obedire tenetur, & profitetur Vicario Jesu Christi in terris, quis audebit Concilium supra Papam statuere, quando Papa supra Ecclesiam judicium exercet, cogitque ad obsequendum? Penitus insideat hoc in animo; nempe quod si universa Ecclesia posset in unum cogi, tota una voce emitteret professionem a Pio IV. editam; Tota sponderet, ac juraret obedientiam Vicario Jesu Christi. Proinde vanum est dejicere superioritatem Papæ, quam tota Ecclesia agnoscit, & infra Concilium, quod est quid minus numero tota Ecclesia, illam collocare.

§. IV.

Ex auctoritate a Romano Pontifice exercita supra Concilium Generale illius superioritas enuntiatur.

AD Romanum Pontificem spectare convocationemOecumenici Concilii, ex jure supremi capitis Ecclesiæ,nemo negabit, nisi hæretica petulantia corruptus, vel omnino Ecclesiasticæ historiæ ignarus. Constat enim, nullum Generale Concilium, sive in Oriente, sive in Occidente coactum fuisse, nisi jubente, aut saltem volente, vel annuente Romano Pontifice; adeo ut de Antiocheno Concilio post primum Nicænum coram Constantino celebrato, sedente Julio I. PP. exceptum fuerit: *Quod Julius Romanus Episcopus neutiquam aderat, neque quemquam, qui ejus locum suppleret, eo misit; idque cum Canon Ecclesiasticus jubeat, non oportere absque sententia Romani Episcopi decreta Ecclesiis sancire*: (1) Ut refert Socrates. Hinc pluribus eruditis visus est, dictus Canon nonnisi a Patribus Nicænis edi potuisse, quum pauci intercesserint anni inter utrumque Concilium. (2) Nicænorum actorum veritas etiam

(1) l. 4. hist. c. 9.
(2) l. 6. c. 27.

etiam in Capitularibus Gallicanis passim elucet. Aliud tamen testimonium certissimum placet producere ex Concilio Chalcedonensi act. 1. ubi adversus impium Dioscorum pronuntiatum est: *Judicii sui necesse est, eam reddere rationem, quia dum personam judicandi non haberet, præsumpsit, & Synodum ausus est facere sine authoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Prætendebat enim Dioscurus Oecumenicam Synodum tenere, quæ omnes in suam sententiam cogeret.

Præcedenti privilegio aliud connectitur, nempe Romano Pontifici, & ipso absente, ejus legatis jus præsidendi Concilio, primumque, & principale edendi suffragium. Ita constat ex act. 3. Concilii ejusdem Chalcedonensis, in quo post relata Dioscori horrenda crimina ad Apostolicos legatos, Julianus Hypæporum Episcopus, ita est interlocutus: *Nunc vestra Sanctitas primatum tenet Sanctissimi Leonis. Omne Sanctum Concilium, & semel, & secundo, & tertio vocavit Dioscorum, & nullatenus voluit obedire. Petimus igitur vestram sanctitatem, qui habetis locum Santissimi Papæ Leonis, promulgare in eum, & regulis insitam contra eum proferre sententiam. Tota enim universalis Synodus concors efficitur vestræ Sanctitatis sententiæ.* Et bis rogante Legato Apostolico Paschasino: *Quid de Dioscoro placet*

cet Beatitudini vestræ ? Post plenam Synodum respondit Maximus Anthiochiæ Episcopus : *Quod videtur sanctitati vestræ, & nos concordes efficimur*. Hinc his auditis tres Legati Apostolici sententiam in Dioscorum, hæreticum, & flagitiosum dixerunt, concludentes: *Unde Sanctissimus, ac Beatissimus Archiepiscopus magnæ Romæ Leo per nos, & per præsentem sanctam Synodum, una cum ter Beatissimo, & omni laude digno, Beato Petro Apostolo, qui est Petra, & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ fidei fundamentum, nudavit Dioscorum, tam Episcopali dignitate, quam etiam ab omni Sacerdotali alienavit ministerio* : Similia legere est in Ephesino Concilio, quum Sanctus Cyrillus, tanquam Vicarius, & Præses vice S. Cælestini PP. sententiam contra Nestorium pronuntiavit.

Tertium privilegium auctoritatis Pontificiæ supra Concilium est, posse indicta Concilia solvere, transferre, vel continuare, prout sibi in Domino expedire videbitur, & tandem acta pleno jure confirmare, vel rescindere. Id liquet ex diplomate edito a Leone X. in Concilio Generali Lateranensi sess. 11. occasione abrogandi Gallicanam Pragmaticam Sanctionem. Incipit Leonis Constitutio per verba : *Pastor æternus*; Et quia objici poterat, pragmaticam sanctionem approbatam fuisse per Concilium Basi-

sileense, prævenit Leo in hæc verba: *Nec illud nos movere debet, quod sanctio ipsa .. in Basileensi Concilio edita, & ipso Concilio instante, recepta sit.. Cum ea omnia post translationem ejusdem Basileensis Concilii per fel. mem. Eugenium PP. IV. a Basileensi Conciliabulo facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam solum Romanum Pontificem pro tempore existentem, tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, & potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, etiam Prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis; sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat: Quorum aliqua referre placuit; reliqua vero, utpote notiora, silentio præterire. In Alexandrina enim Synodo, Athanasio ibidem existente, Felici Romano Pontifici ab eadem Synodo scriptum fuisse legimus: Nicænam Synodum statuisse, non debere, absque Romani Pontificis auctoritate, concilia celebrari. Neque nos latet, etiam eundem Leonem Pontificem Ephesinam secundam Synodum ad Chalcedonensem transtulisse. Martinum Papam Quintum præsidentibus suis legatis in Concilio Senensi, potestatem transferendi Concilium, nulla consen-*

sensus ipsius Concilii mentione habita, dedisse: Ephesinam quoque primam Synodum Cælestino, & Chalcedonensem eidem Leoni, sextam Agathoni, septimam Hadriano, octavam etiam Constantinopolitanam Synodum Hadriano Romano Pontifici, prædecessoribus nostris, maximam reverentiam exhibuisse; eorundemque Pontificum institutionibus, & mandatis, in sacris Conciliis per eos editis, & factis, reverenter, & humiliter obtemperasse. Unde Damasus Papa, & cæteri Episcopi Romæ congregati, scribentes de Concilio Ariminensi Episcopis in Illyrico constitutis, præjudicium aliquod per numerum Episcoporum Arimini congregatorum fieri non potuisse testantur. Quandoquidem constat, Romanum Pontificem, cujus ante omnia decebat spectari decretum, talibus non præbuisse consensum. Eundemque Leonem Pontificem universis Siciliæ Episcopis scribentem idem voluisse apparet. Consueveruntque antiquorum Conciliorum Patres, pro eorum, quæ in sacris Conciliis gesta fuerunt, corroboratione, a Romano Pontifice subscriptionem, approbationemque humiliter petere, & obtinere, prout ex Nicæna, & Ephesina, ac Chalcedonensi hujusmodi, & sexta Constantinopolitana, & septima eadem Nicæna, & Romana sub Symmacho, Synodis habitis, earumque gestis, nec non in Aimari libro de Synodis manifeste colligitur: Quod

etiam

etiam noviſſime Conſtantienſes Patres feciſſe conſtat. Hæc Leo X. quibus addi poteſt, nuperum Concilium Tridentinum eadem in uſu poſuiſſe, ſummam erga ſanctam Sedem explicando demiſſionem, ac venerationem.

Torquet Adverſarios hic modus loquendi Pontificis Maximi in plenario Concilio, omnibus ibi ſedentibus, & audientibus, nemine reclamante, aut muſſitante; unde argui poſſet, doctrinam abſonam obduci, vel novitatem olentem. Tota Conſtitutio approbante Concilio edita fuit, quapropter nullus cordatæ mentis inficiabitur, maximum momentum afferre ſententiæ, quam perſequimur. Reponunt, declarationem Leonis X. non fuiſſe definitionem dogmatis, cui refragari nefas ſit; ſed incidentem ſermonem ad narrationem tantum ſpectantem, quia Conſtitutio unice proſpiciebat Pragmaticæ Sanctionis abrogationi, & concordatorum ſtatutis invehendis. Convenio utique; ſed ad tam claram ſanctæ Sedis, doctrinæ ſuæ, ſententiæque expoſitionem, nonne quæcunque opinio adverſa concidit, & viribus elanguet? Nonne male cautæ mentis eſt contraire? Nonne cauſam adeo præjudicatam, audentis ingenii eſt, velle uſque ad contentionem ſectari?

Et ſane ſi unum, vel alterum ex allatis privilegiis Romano Pontifici propriis, diſcutere

tere contingeret, permittere adversariis non dubitarem, potius trahi posse ad Primatus Pontificii eminentiam, quam ad auctoritatem supra Concilium. Sed attenta tot rerum concretione, & multiplici agendi ratione Papæ supra Concilia, ut superius explicatum est, opinio contraria ejusmodi est, ut fide careat; quod maxime sequenti §. satis perspicuum fiet.

§. V.

Idem præcedens argumentum instauratur.

SUmmi Pontifices, quibus inhæret auctoritas regiminis, & potestatis Ecclesiasticæ plenitudo, Concilia Oecumenica indixerunt, vel per encyclicam epistolam, ad omnes Orbis Episcopos directam, vel per assensum convocationi adhærendo. Porro omnes Episcopi, quotquot sunt in Orbe terrarum, jus habent interveniendi, ad differentiam aliorum inferiorum Conciliorum, in quibus sedere nequeunt, nisi illi, qui specialiter subduntur gaudentibus jure aut metropolitico, aut Primatis. Necessaria semper habita fuit in Ecclesia Conciliorum Generalium convocatio tum ad dogmata constabilienda, tum ad hæreses exterminandas, tum ad disciplinam resarciendam. Petrus, & Apostoli Ecclesiæ exemplum dedere, cum

Hie-

Hierosolymis convenientes coegerunt Concilium super mota quæstione de cæremoniis legalibus observandis, vel abrogandis, ut habetur act. 15. Dixit Petrus, pro primatus sui dignitate, & Pontificia auctoritate, nullatenus esse Christianos subjiciendos oneri Mosaicæ legis: *In cujus sententiam Jacobus Apostolus, & omnes simul Presbyteri transierunt*; Inquit (1) Sanctus Hieronymus: & statim decretum est: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis Simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis*. En forma Conciliorum, & exemplum.

Hinc alia sunt Concilia, quibus Papa præest, alia, in quibus per suos Vicarios suam supplet absentiam; ex cujus discrimine variæ decretorum formulæ fuerunt in usu: vel pronuntiante ipso Papa sententiam, Concilio consentiente, aut approbante, vel ipsis legatis pronuntiantibus, consentiente Concilio; vel absolute ipso toto Concilio definiente, quæ sancire, aut condemnare opus erat. Non diffiteor, Episcopos ibi assidentes munus Judicis definientis obire, ut docet Melchior Cano, (2) ne cogamur suffragia Episcoporum in commune cum Theolo-

(1) Ep. 89. ad Augustin.
(2) l. 5. de loc. Theol. c. 5. Conc. 2.

ologis, aliisque Doctoribus consulentibus conferre. Verum quomodonam inconcussa hæc decreta in Ecclesia habita fuere? Nisi quia vel Romanus Pontifex edixit, vel quia sua auctoritate, aut assensu decreta roborata existunt? Quum Petrus dixit in Concilio Hierosolymitano, vere *Spiritui Sancto, & nobis visum est*, pronuntiavit Concilium. At enim si Concilium Ariminense, si Basileense Schismaticum pronuntiassent per eadem verba: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*; nunquid doctori veritatis mendacii culpa adscribetur?

Profecto extra dubii aleam est, Concilia, præsente, & decernente Papa, nunquam errasse; errasse vero etiam adsistentibus, & præsidentibus Papæ legatis, quia infallibilitas Papæ non est legatis communicabilis. Ex Consilio Chalcedonensi id demonstro. Producta fuit act. 9. & 10. Epistola Ibæ Episcopi Edesseni ad Marim Persam inscripta, & vocati, fuerunt admissi accusatores, qui acerrime Ibam ipsum de pluribus criminabantur; dictumque fuit, eum esse Nestoriana hæresi infectum, atque in judicio Synodi Beritensis, una cum Scriptis jamdudum damnatum fuisse, nervose proclamabant. Imo lecta eadem Epistola coram Patribus, & neglecto, post accusationem, examine, legati Apostolici generose intercesserunt: *Relecta enim ejus* (Ibæ) *Epistola agnovimus*,

mus, cum esse orthodoxum, & hinc decernimus, & honorem Episcopatus, & Ecclesiam, a qua injuste, & absens expulsus est, ei restituendam: Uti factum est. Perlatis Chalcedonensibus actis ad S. Leonem, cum enixa supplicatione, ut ea plene pro suo munere, & auctoritate confirmaret, ipse, afflatus procul dubio speciali, quo pollebat, infallibilitatis spiritu, approbationem, & confirmationem unice præstitit in sola fidei causa, quæ Nestorii, Dioscori, & Eutychetis hæreses respiciebat, & quæ ad constabiliendum Catholicum dogma, juxta suam epistolam latam conferebat. Ita conceptis verbis scripsit (1) S. Leo ad Episcopos, qui Concilio adfuerant. *Per approbationem*, inquit, *gestorum Synodalium propriam vobiscum iniisse sententiam, in sola videlicet fidei causa, quod sæpe dicendum est, propter quam Generale Concilium placuit congregari.* Clarius ad rem nostram se explicat (2) S. Leo in Epistola data ad Maximum Antiochenum, dicens: *Si quid sane ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice mea misi, præter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse perhibetur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantum ab Apostolica Sede sunt directi, ut, excussis hæresibus, catho-*

(1) Ep. 61. ad Juvenal. cæterosque Ep.f.
(2) Epist. 62.

tholicæ essent fidei defensores. Eadem ita confirmat Facundus Hermianensis. (1)*Beatissimus Leo scribens, non sententiam super Ibæ epistolam prolatam, neque Episcopatum dicto Ibæ redditum, & cætera, quæ in Synodo Chalcedonensi de quibusdam personis decreta sunt.,. attendit, cum diceret, S. Synodum ad extirpandam solam hæresim, & ad confirmationem fidei Catholicæ congregatam fuisse*. Ex quo factum est, ut de Epistola Ibæ retractaretur in quinta Synodo, ubi inter tria capitula, tanquam impia, & Nestoriana, damnata, & anathemate confixa fuit. Si ad hæc intendissent Episcopi Aquilejenses, & Istrienses, neque probris onerassent Vigilium PP. neque adversus Romanam Ecclesiam adeo infandum, ac diuturnum schisma conflavissent. Si ad hæc mentem appulissent Galliarum, & Tusciæ Episcopi, Pelagium I. non ausi fuissent in suspicionem vocare, perinde ac errantem quintam Synodum probasset, utpote cum Concilio Chalcedonensi pugnantem. Tandem si ad hæc defixissent animum nonnulli viri illorum temporum, & eruditione, & sanctitate conspicui, neutiquam lapsi adeo fuissent, ut Patres quintæ Synodi, ut Vigilium PP. aliosque successores Romanos Pontifices Synodum quintam, ut Oecumenicam amplectentes, tanquam temeratores

Con-

(1) l. 5. c. 4.

Concilii Chalcedonensis, & violatæ fidei reos traduxissent.

En quam maximi momenti est, evehere Pontificiam auctoritatem supra Concilium; en quantum interest Ecclesiæ ad unum Pastorem, & caput infallibilitatem Judicis de fide & moribus revocare; qui docendo, & dicta a Conciliis auctoritate superiori confirmando sartam tectam fidem custodiat, & cuncto gregi illibatam propinet? ergo confirmatio Conciliorum facta a Romano Pontifice est summi ponderis; est summæ auctoritatis, & supremæ potestatis, quæ robur confert, si adsit, robur adimit, si abest; ita poscente Ecclesiæ regimine, & fidei unitatis causa.

Nunc præcludere fas est quandam objectiunculam afferentem in medium Concilium Constantinopolitanum, sedente Damaso PP. celebratum. De hoc constat, neque convocatione, quum privata auctoritate coactum fuerit ex orientalibus Episcopis centum, & quinquaginta; Neque præsidentia Romani Pontificis, per suos scilicet legatos, quia Damasus prorsus convocationem ignoraverat: Neque tandem confirmatione Apostolicæ Sedis, Oecumenicum evasisse; sed tantum per acquisitum consensum universalis Ecclesiæ inter Generalia Concilia adscriptum haberi; ex quo inutilem contendunt adversarii reddere Pontificiam aucto-

ritatem Conciliis superiorem Sed falsum objectioni incubat, & ad probandum ea, quæ dicunt adversi bellatores, ea, quæ minime extiterunt, exaggerant. S. Gregorius M. de hoc Concilio differens, ait: (1) *& Canones quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana Ecclesia eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.* Quomodo accepit? en testimonium Photii, qui enumeratis Episcopis in ea Synodo consedentibus, ait: (2) *Quibus non multo post tempore, & Damasus Romæ eandem confirmans, atque consentiens accessit.* Quam ob rem in sexta Synodo act. 18. adclamatum est: *Macedonius Spiritus negabat deitatem, eumque conservum prædicabat, sed Maximus Theodosius Imperator, & Damasus adamas fidei obstiterunt, quorum solidam mentem aggressiones, atque conflictus nullatenus sauciarunt.* Ecquis suspicabitur orientales illos Patres minime agnovisse in Damaso PP. jus innatum firmandi Concilia, quando ipsi de hac Synodo Constantinopolitana eundem Damasum certiorem reddere satagerunt? Id constat ex Synodica epistо-

(1) l. 6 Ep. 31. ad Eulog. ex Anastas. Epist.
(2) l. 7. de Synod.

pistola ad eundem Damasum missa, in qua Patres exposcunt: *Quam rebus tanquam legitime a nobis constitutis, obsecramus vestram reverentiam, ut congratuletur, spirituali charitate nos mutuo devinciente*: en sequentia; *Quod si doctrina fidei ad hunc modum communi consensu stabilita sit ... corpus Ecclesiæ integrum conservabimus*. Itaque Patres illi postulabant consensum Damasi, qui ostenderet charitatis unitatem; sed prout decebat Romanum Pontificem, cui sese subjiciebant, gesta Synodica referentes.

Contendunt adversarii, non constare de hujusmodi consensu Damasi, quia nullum est reperire monumentum ad Episcopos directum, quo de his actis approbatis fierent certiores, quo pacto tantum illa Synodus potuit Oecumenica dici. Sed inanis evasio: Sive enim lato decreto, sive consensu suo, Papa confirmet acta alicujus Synodi, semper constans est, nunquam Concilium sortiri posse auctoritatem Concilii Oecumenici, absque Papæ accessione, quæ auctoritatem conferat, & potestatem. Et quidem principaliter, atque inseparabiliter; alias hujus Synodi auctoritas semper jacuisset infirma. Propterea S. Hieronimus scribebat: (1) *Quod Evangelium Marci Petrus probavit, & Ecclesiæ legendum sua auctoritate edidit*.

(1) In Catalogo Script. Eccles.

§. VI.

Ex Appellationibus a Concilio Generali ad Papam, comprobatur Papa superior Conciliis.

HIncmarus Remensis Archipręsul olim in hæc verba scripserat: (1) *Quibus omnibus demonstratur, quia Synodus Comprovincialium, Episcoporum judicia; Generalis autem Synodus Comprovincialium dijudicationes, sive dissensiones, vel probet, vel corrigat. Apostolica vero Sedes, & Comprovincialium, & Generalium retractet, refricet, vel confirmet judicia: sicut epistolæ Leonis, atque Gelasii, cæterorumque Romanorum Pontificum, & Sardicensis Synodus evidenter ostendunt, & Episcoporum recte judicantium confirmatur, & secus judicantium corrigitur: & interim funditus non perit auctoritas.*

Agnovit Hincmarus sæculo Nono, in quo vixit, supremam Romani Pontificis auctoritatem, ac potestatis jurisdictionem, supra omnia Concilia, a quibus nunquam vetitum fuit appellare ad Papam. Probrosum autem perinde, ac flagitiosum semper habitum fuit, a Papa ad Concilium appellationem interponere. Ille est ordo divina con-

(1) l. de divort. Loth. & Theob.

constitutus providentia, ut ab inferiori ad superiorem, ut par est, fiat delatio; aliter se gerere est præpostera agendi ratio pugnans cum divina institutione, decernente, omnium supremam sedem esse debere omnium judiciorum originem, & matricem, quemadmodum & unitatis est fons illimis. (1) Hinc Stephanus Tornacensis Episcopus scripsit, in hoc communi appellationis refugio ad S. Sedem *consistere dignitatem Ecclesiæ Romanæ*: & S. Bernardus de hoc privilegio Innocentio II. gratulatur, scribens: (2) *& quidem ex privilegio sedis Apostolicæ constat, summam rerum ad vestram potissimum respicere summam auctoritatem, & plenariam potestatem; Verum hoc inter cætera vestri singularis primatus insignia, specialius, nobiliusque nobilitat vestrum, & inclytum reddit Apostolatum, si eripitis pauperem de manu fortiorum ejus: Nulla, meo judicio, in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo æmulari consuevistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem justorum,*

Plena sunt antiquitatis monumenta his interpositis appellationibus ad S. Sedem. Unum proferam exemplum præ cætetis meo judicio validius. Synodus Oecumenica Chalcedonensis statuit Canone n. 8. Præsulem

R 4 No-

(1) Ep. 162.
(2) Ep. 198.

Novæ Romæ inposterum locum sibi vendicaturum post Romanum Pontificem, ex quo Alexandrinæ Ecclesiæ suum Jus, ac privilegium detrahebatur. Rogatus S. Leo M. ut probaret, instantiam repulit, & Canonem circumscripsit; Unde S. Gelasius ait: (1) *Quæ per incompetentem præsumptionem illic prolata sunt, vel potius ventilata, quæ Apostolica Sedes gerenda nullatenus delegavit, mox a Vicariis Sedis Apostolicæ contradicta, manifestum est, quæ Sedes Apostolica, etiam petente Marciano Principe, nullatenus approbavit... nulla ratione sustinet*: Remque totam esse Pontificiæ auctoritatis idem Gelasius in hæc verba docet:(2) *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad Apostolicæ Sedis examen voluere deferri; b ipsa vero nusquam prorsus appellare debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt, non oportere dissolvi, cujus potius decreta sequenda mandarunt.* Eadem repetit Gelasius ad Dardaniæ Episcopos scribens: (3) *Non reticemus autem, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Ponti-* ficum

(1) l. de Anth.
(2) Ep. 4. ad Faustum
(3) ep. 13.

ficum Sedes Beati Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio, siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus.

Constat ulterius, Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, Theodoretum Cyri Episcopum, & Eusebium Dorilæi Antistitem ab Ephesina Synodo in latrocinium postea versa, appellasse ad S. Leonem M. ob depositionis judicium in ea latum; illosque per Leonem sedibus, & loco restitutos, a Synodo Chalcedonensi gloriose fuisse receptos, excepto Flaviano, qui e vivis excesserat. Quinimo adnotare dignum est, quod licet nonnulli adversus Theodoretum acriter pugnarent, nihilominus gloriosissimi Judices exclamarunt: (1) *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sic sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus Leo, & Sacratissimus Imperator sanxit, eum adesse Sanctæ Synodo*: Utique quia a Leone Sedi redditus fuit; *Reservata videlicet post hæc omni accusatione, & nobis, & illi & quæ invicem exercere volueritis*. Præstat ipsum Theodoretum appellantem de Apostolica Sede egregie loquentem audire: (2) *De-*

pre-

(1) Ex act. 1. Synod. Chalced.
(2) Ep. ad Renatum.

precor te, ut Sanctissimo Archiepiscopo (Leoni PP.) *sudeas, ut Apostolica auctoritate utatur, jubeatque ad vestrum Concilium adire. Habet enim Santissima illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, Principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab hæretica labe immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed Apostolicam gratiam integram conservavit.*

Reliquum esset agere de interjectis appellationibus a Papa ad Concilium, earumque improbitatem detegere, sed melius alibi discutiendas dimitto; & pro nunc satis sit concludere, omnium Ecclesiarum appellationes Romanum Pontificem spectare, ob suam dignitatem, & supremam potestatem Conciliis etiam omnibus superiorem, quia, ut scripsit S. Nicolaus I. (1) *Ipse est enim Primas, qui & Primus habetur, & summus*,

§. VII.

Objecta diluuntur, & primo de Canone: Si Papa.

Rursus adversarii refricant pervulgatum Canonem, *Si Papa*, ubi aperte legitur; (2) *Quia cunctos ipse judicaturus*,

(1) Ep. 8. ad Michaelem Imper.
(2) Distinct. 40. 6.

turus, a nemine est judicandus, nisi forte deprehendatur a fide devius. Tunc enim Concilium Generale Judicis auctoritatem induens, superiorem potestatem exercet, quod sane satis est, ut Papa inferior Concilio dici, & esse debeat. Idem sibi persuadent, si contingeret, Papam schisma conflare, vel fovere pertinaciter, aut si universæ Ecclesiæ scandalum injiceret, perinde ac si universalem ordinem Ecclesiæ incorrigibiliter perturbaret. Tandem hoc eis propositum est; etiam per quælibet abrupta subjicere Papam Concilio.

Aberrant tamen toto ostio. De Papa devio a Fide loquitur Canonica sanctio, cujus auctor incertus est, etsi inscribatur Bonifacius Martyr. Sed quinam ille fuerit, penitus latet. Patet autem ex Ecclesiasticis tabulis nunquam insurrexisse Ecclesiam adversus Romanum Pontificem, ob aliquod flagitium, sed tantum comperto crimine deviationis a fide, & insordescentis schismatis, ut ex Conciliis Pisano, & Constantiensi, infra excutiendis, liquet. Neque arbitrio hominum permittere decet, ampliare leges Ecclesiasticas ad id, quod non exprimunt, contra Juris maxime regulam prohibentem odiosa ad non expressa deducere. Canon itaque aperte loquitur de Papa a fide devio, neque ulterius prospicit. Expedita responsio esset, casum minime futurum

turum haberi. Etenim quemadmodum a mille, & septingentis annis, nunquam vidit Orbis Pontificem Romanum annos Pontificii Petri excessisse, etsi plurimi in florida juventute, vel ætate ad summum illum apicem evecti fuerint, ut serio advertit Petrus Damiani; (1) & per tot temporis intervalla nullus a fide devius compertus sit, ut abunde ex dictis constat: Ita validum argumentum urget, conjiciendi, neque unum, neque alterum, ita disponente Domino, impotterum eventurum fore. Ne tamen Prophetam potius agere, quam Theologum videamur, etiam de casu nunquam futuro, aut tantum metaphysice possibili eloqui non pigebit, certa tamen ab incertis segregando, & singula explicando.

Pro explorato, extra omnem dubitationis aleam, habendum est, Pontificem Romanum ex Cathedra loquentem non posse a fide deviare in sententia, quam profert. Multis id ostendimus, quum de ejus infallibilitate in superioribus actum est; alias cogeremur, errorem organi in specialem promissionem Christi, & Spiritus Sancti adsistentem afflatum transfundere, quod summæ blasphemiæ est: Quemadmodum in Prophetis, & Apostolis dicere adstringimur: De aliis igitur casibus quæstio procedit.

Primus casus sit de Papa urgentissime de

fide

(1) Opusc. 23. ad Alex. 11. tom. 3.

fide suspecto; quemadmodum ab Occidentalibus Episcopis habitus fuit Vigilius, & ab Episcopis Gallis Pelagius II. & a S. Columbano, aliisque sui temporis Bonifacius IV. ob damnata tria Capitula, & ob receptam quintam Synodum. Quid facto est opus? Respondeo, nemini in hoc casu subjici posse Papam, sed divino relinquendum esse judicio. Non est casus in Canone exceptus, ubi de devio a fide, non de suspecto sermo est. Exempla superius allata plane ostendunt, lapsos quidem fuisse suspiciosos illos, qui laudatos Pontifices criminabantur, neutiquam istos. Hinc S. Ivo Carnotensis simul cum Episcopis Senonensis Provinciæ, rescribens Joanni Lugdunensium Primati, Paschalem II. degradare conanti, dixit: (1) *Non videtur nobis utile consilium ad illa Concilia convenire, in quibus non possumus eas personas, contra quas agitur, condemnare, vel judicare, quia nec nostro, nec ullius hominum probantur subjacere judicio*. Et post plura concludit: *quia principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcunque persona Petri vices habeat, nisi manifeste ab Evangelica veritate decedat*. Exposcitur proinde manifesta deviatio a fide.

Alter sit casus, in quo manifesta notorietate constet, Papam esse devium a fide,

neque

(1) Ep. 236.

neque spem esse, ut correctionem admittat. Ita quoque si pertinax schisma conflaret, & absque animo resipiscendi, aperte peccaret in dogma fidei docentis: Unam esse Sanctam Ecclesiam. De hoc casu praecise textus loquitur. Sed quid haec objectio evincit? Nunquid valet ad dejiciendum Pontificem Romanum ab eminentia supra Concilium? Si ita est; quilibet Monarcha erit inferior suis subditis, quia in casu amentiae, vel perniciosae stoliditatis possunt illum a Throno removere. Propterea ajebat Orator Meldensis Gallus ad Eugenium IV. referente Raynaldo ad annum 1441. n. 10. *Nec est simile de principibus Saeculi, quorum Principatus dependebat a consensu Populi, licet dato consensu, ut ait Chrysostomus, nunquam ipse Populus superioritatem habet postea in suum Principem.* Discant illi, qui soli Deo reges reservant subditos, deinde ejiciunt Chilpericum, & Pipinum substituunt. Discant, inquam, quomodo haec pugnantia componant, & dum nostram sententiam dente, & calamo erodere non desinunt. Filius, clamante ipsa natura, est Patre inferior. Verum si Pater abrupto patriae potestatis aggere, ad incitas filium insontem deducit, ut vel occidi, vel occidere sit huic opus; nunquid salvo moderamine inculpatae tutelae, non ei licebit, ipsa natura dictante, Patrem aggredi? Nonne Pa-

ter

ter in patriam rebellis, cogitur pati filium, ut hostem; etsi lege naturæ Pater sit colendus a filio? Obedire Reipublicæ, subditorum est debitum jure naturæ inditum, sed Reipublicæ iniqua jubenti, & superiori cogimur jure reniti. Quamobrem tot Martyres colimus mandata Principum despicentes.

Quemadmodum igitur ex allatis exemplis non licet extundere, aut Monarcham subesse Populo, aut Patrem filio, aut Rempublicam subdito; eccur solus Papa, censendus erit absolute Concilio inferior, quia, in casu deviationis a fide, poterit ejus subjici judicio? Proh Deum immortalem! Quid est hoc? Omnia jura, quæ aliis favent, exitialia esse debent Pontificio culmini?

Ratione rem conficere placet. Sicut in naturalibus una lex alteri prævalet, ut datis exemplis probatum est, quin rectus ordo naturæ depereat, ob rerum humanarum vicissitudinem; ita in Divinis, quum eidem variationi prospiciunt, una lex, alteri superior esse potest, quin divinæ frangantur dispositiones. Justus Deus plurimos æternis suppliciis improbos damnat, quin deficiat amor, quo vult omnes salvos fieri, & utrobique voluntas beneplaciti impletur, quia sic Deus ordinem suorum decretorum statuit, ut nemo statuta divinæ Omnipotentiæ

tiæ subterfugiat. Voluit itaque Deus constituere Petrum universalem Pastorem Ecclesiæ, & illi ut capiti eam subjcere, sive dispersa sit in membris, sive in Concilio congregata. Verum si Papa ab Ecclesia discedat, si in fide sit devius, voluit Deus altiori decreto, ut privilegio honoris, dignitatis, & superioris præeminentiæ exuatur, & cadat, subdaturque, causa culpæ, inferiorum judicio. Ratio id suadens in promptu est; Quia fidei conservatio, quæ est fundamentum, & forma Ecclesiæ, ab altiori providentia pendet, cujus nutu putridum etiam caput fas est abjicere, si cogat necessitas, ne totum corpus putrescat, & pereat. (1) *Et qui censoriam super alios concutit virgam, supra se vigoris Ecclesiastici sentiat disciplinam*, inquit Petrus Damiani. Discant adversarii, iterum dicam, ab hac formula arguendi nos penitus abhorrere; nempe: Magistratus est supra Monarcham in insaniam prolapsum, ergo est supra Monarcham. Ita & ipsi, ne desipiant, execrentur & istam: Concilium est supra Papam devium a fide, ergo est supra Papam. Utrobique enim argumentum laborat fallacia sensus restricti ad non restrictum, quam ipsi dialecticæ Tyrones pene investes risu excipiunt.

§. VIII.

(1) l. 1. ep. 12. ad Alex. 11.

§. VIII.

Occurritur objectioni ex decretis Seff. IV. & V. Concilii Conftantien.

TEterrimum Pelagus petimus, quum infandi Schifmatis fæculi decimiquinti hiftoriam recolimus, quia undique Syrtes, cautes, æftuantia maria, quæ extremum Ecclefiæ navi comminabantur periculum, nifi certa fpe conftaret, nunquam prævalituras adverfus eam inferi portas. Pugnabant primo duo inter fe contendentes Pontifices de legitima electione a fingulis prætenfa, nempe Gregorius dictus a fuis XII. & Benedictus ab altera parte XIII. nuncupatus. Coacto Pifis Concilio, ut probatiffimum tanto morbo remedium afferretur, malum gravius evafit, quia (aucto per aliam electionem tertio Pontifice, fub nomine Alexandri V.) Schifma in monftrum Geryonis traduxit. Defuncto Alexandro, fuffectus fuit alter, Joannes XXIII. vocatus, diffidio indefinenter permanente. Qui latiorem narrationem avent, hiftoricos Ecclefiafticos confulant.

Antequam ad ulteriora procedamus, tantifper immorari placet fuper Pifano Concilio, quod Generale fe nuncupavit, & ab hoftibus, cum quibus agimus, junctis ulnis

habetur. Patres illi causam contendentium Pontificum instruxerunt, vocatis, & citatis Gregorio, & Benedicto, ut per voluntariam cessionem, pacem Ecclesiæ donarent. Sed quoniam Concilio morem gerere detrectabant, contumacia probata, sententiam in eos degradationis dixerunt, tanquam indurati Schismatis, & a fide deviationis reos; ac proinde, ut dejectos a Deo, declarare Patres non dubitarunt. Post hæc, Alexander V. apparuit. Ast quid ex tot studiis, operosaque cura emersit? Schisma auctum invaluit, & Ecclesia in partes discissa, non probavit Concilium, non consensit electioni, nec pacem complectebatur. Ad alterum celebrandum Constantiæ Concilium ventum est, ubi posthabito Concilio Pisano, neglecta electione Alexandri, & deinde Joannis, omnes tres contendentes Pontifices, æque ut dubii Pontifices, communi consensu excipiuntur: a singulis indici idem Concilium, & acta probari permittitur, cæteraque agi, perinde ac si Pisanum Concilium in irritum missum fuerit.

Hic discere ab Adversariis cupide exopto. Eccur Concilium Constantiense adeo aperte Pisanum evertit, ut neque latam sententiam in diffidentes Pontifices admiserit; neque electionem certi Pontificis, ejusque successoris approbare voluerit; Sed veluti ex inte-

integro conatum est, rebus Ecclesiæ ad inextricabiles difficultates deductis prospicere? Nemo sanæ mentis quicquam aliud respondebit, nisi dicendo, quod in illa malorum colluvie sic poscebat necessaria agendi ratio. Itaque, si improbitati temporis fuerat opus parcere, usque ad Conciliorum Generalium collisionem sane præposteram; Eccur eidem temporis perturbationi non erit ignoscendum, si Patres Constantienses, ultra fas, verbis amplioribus expresserint auctoritatem Concilii supra Papam?

In sessione IV. & V. Concilii Constantiensis pronuntiatum est, per modum declarationis, in hæc verba: (1) *Et primo declarat, quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata..potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujuscumque status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ in capite, & in membris*. Eadem repetuntur sess. V. sequentibus verbis: *Item declarat, quod quicumque cujuscumque status, dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus, aut præceptis hujus Sacræ Synodi, & cujuscumque alterius Concilii Generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis,*

 vel

(1) Sess. IV.

vel faciendis, obedire contumaciter contempserit.. debite puniatur.

Scitu dignum arbitror, Joannem XXIII. primis præsedisse sessionibus, & data facultate Patribus agendi in extirpationemSchismatis, solemni ritu vovit, & juravit, sese obstringere Deo, Ecclesiæ, & ipsi Concilio statim cessurum Papatui, *juxta deliberationem præsentis Concilii*, si & quando Petrus de Luna Benedictus XIII. & Angelus de Corario, Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati, Papatui, quem prætendunt, legitime cesserint. Deinde ipse Joannes adjecit: *Et etiam in quocumque casu cessionis, vel decessus, aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari unio Ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis Schismatis.*

Plura subjiciam notanda. I. Quod Concilium coactum fuit auctoritate Papæ, & ipso Papa præsidente inchoatum, ob tria capita; nempe causà extirpationis hæresum, & præsentis schismatis, & reformationis morum, disciplinæque Ecclesiasticæ. II. Quod ipse Pontifex Joannes voti, & juramenti religione se submisit sponte eidem Concilio, circa præfata tria capita. (1) Idque adeo verum est, ut quum Patres censuerunt cogendum esse Joannem ut rediret Constantiam; in expedita citationis formula

(1) Seff. VII.

la, expresserint, ipsum ab initio se subjecisse sponte Concilio. III. Quod Joannes Papa post secundam sessionem clam se subduxit ab Urbe Constantia, & a Concilio, Schaffusam petens. IV. Quod statim, post Papæ discessum, ipsum Concilium in tertia sess. se declarat. Acephalum, dicendo, se habere potestatem immediate a Christo, adeoque esse sine capite visibili. V. Quod ipsum Concilium semper, & constanter egit, statuit, ac pronuntiavit contra Joannem Papam, aliosque contendentes; eo fine extirpandi nequissimum schisma, & in hunc finem ipse Joannes se ei sponte subjecit. VI. Quod verba sess. V. quibus etiam Papæ indicitur, teneri obedire eidem, & cuilibet alteri Concilio Generali legitime congregato; jungenda sunt cum aliis verbis exprimentibus materiam obedientiæ, nempe *super præmissis, seu ad ea pertinentibus*; puta circa extirpationem hæresis, & schismatis, & morum corruptelæ ex fatali schismate derivatæ,

Ex quibus omnibus nihil prorsus evinco, quod faveat superioritati Concilii adversus Romanum Pontificem. De dubio Pontifice agebatur in Synodo Constantiensi: de Pontifice fovente pertinaciter schisma dirissimum erat inquisitio: de Pontifice, qui sponte eidem Synodo se submiserat, erat quæstio: de Pontifice devio a Religione vo-

ti, & juramenti, ut diuturnum faceret schisma in Ecclesia; & de Pontifice tandem erat agendum, qui se subduxit a præsenti Concilio, & in gravem suspicionem venerat, quod hæc moliretur, ut, dissoluta Synodo, aliam sibi soli faventem vocaret, & in eo quem fuerat adeptus, Papatu, pessundato Ecclesiæ bono, persisteret. Necessitas igitur unionis, contumacia contradicentium, fuga Pontificis, disparitas consiliorum, & consulentium, quid suadere poterant? Nisi ea, quæ, impellente necessitate, evenire solent in arena, nempe extremis malis extrema remedia, & retro inaudita consilia,

Verba itaque sess. IV. & V. aliaque, si quæ sunt in actis Concilii Constantiensis conserta, non aliam superioritatem gestiunt supra Papam, nisi cum devius est a fide, vel schisma facit in Ecclesia. Miror tamen quod cordati viri ab hujusmodi exemplis, potius infandæ, quam recolendæ memoriæ, argumentum desumant, ad dejiciendam Pontificiam dignitatem, ac potestatem! Suffundi debuisset quilibet pudore, quia, nonnisi ex rationum inopia, producuntur monumenta admiranda, sed minime imitanda.

§. IX.

§. IX.

Nonnullæ objectiunculæ ex Concilio Constantiensi eductæ aereæ deteguntur.

NE objectum Concilium Constantiense, cui hostes nostri unice fidunt, refugere videar, iterum pugnæ me sisto, paratus omnes impetus pari contentione retorquere. Seſſ. VIII. inquiunt, damnata fuit propositio Jo: Witclephi, descripta sub numero 41. videlicet: *Non est de necessitate salutis credere, Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* Huic propositioni statim ibi subnectitur sequens postilla, sive Commentarium: *error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret primatum Summi Pontificis super alias Ecclesias particulares.* Hæc leguntur in actis recensitis seſſ. octavæ, & integre leguntur in Constitutione edita a Martino V. post Concilium, in qua iterato mucrone confodiuntur errores & hæreses Jo: Vitclephi, Jo: Hus, & Hieronymi de Praga. Fassus igitur est ipse Papa Martinus V. una cum Concilio, neque Ecclesiam Romanam particularem, neque ipsum Romanum Pontificem esse superiorem Ecclesiæ universali, aut Concilio Generali.

Respondeo. Errores illos proscriptos æque odisse Romanam particularem Ecclesiam, ac Ecclesiam Catholicam, quatenus a Romana originem deducit, & nominis auctoritatem; adeoque per unum latus, utramque aggrediebantur perdere. Incassum tamen. Censura tantum præstat, quantum satis erat ad ostendendum errorem. Quæ vero amplioris privilegii sunt, & in Romano Pontifice, & in Ecclesia speciali Romana, præteriit silentio, at non exclusit. Vel forsan inclusit, quia dixit, Primatum Summi Pontificis esse super alias Ecclesias particulares, & quum infinitæ non sint, valet etiam consequens prælationis, & eminentiæ supra omnes Ecclesias collective, de quo iterum alibi.

Afferunt Adversarii aliam objectionem ex cap. *Frequens* depromptam; nempe quod fuit constitutum sess. 39. a præfato Constantiensi Concilio, ut duo declararentur a futuro Pontifice observanda. I. Patres illi pronuntiant, debere Papam, ex jussione Concilii, aliud Concilium cogere in sequens quinquennium, deinde in septennium, postremo de decennio in decennium in perpetuum. Si vero Papa neglexerit, hanc exequi intimationem, id incumbere sequenti Synodo, Patres sanxerunt. II. Patres decreverunt, quod ad effugiendum periculum novi schismatis, in casu electionis Papæ vel vi, vel metu

tu occurrentis, statim suspensa remaneat in quolibet electo administratio, donec, per Concilium a Cardinalibus convocandum, causa contendentium dirempta fuerit. Quæ omnia palam instrepunt superioritatem Concilii in Papam.

Falluntur tamen quam maxime hujusmodi arguentes. Caput *Frequens*, directive præordinat, quidquid provide excogitatum fuit, ad evertendum periculum novi schismatis, non autem imperative super Papam. Quot Canones, & decreta leguntur in Conciliis Generalibus, & nuper in Concilio Tridentino ad auctoritatem Papæ spectantia, quæ tamen nonnisi ad dirigendum, & consulendum descripta, & sancita intelliguntur? Idcirco pluries Patres Tridentinos interlocutos legimus: *salva auctoritate summi Pontificis*. Urgentius quidem actum est in Concilio Constantiensi, quia deteriora præcavere opus fuit, juxta illud adagium: *Qui prunis uritur, etiam cineres excutit*.

Tandem ad confirmationem actorum Constantiensium factam a Martino Papa V. nos provocant infesti argumentatores. Et sane mirari subit! Flocci pendunt, quum a nobis audiunt confirmata a Romanis Pontificibus acta Conciliorum Generalium, & vix ad quisquilias Theologorum hujus confirmationis argumentationem amandant. Ast quum in medium proferunt confirma-

tio-

tionem actorum Constantiensium a Martino V. factam; statim in immensum Colossum evadit, & longe lateque decantant: en confirmatio Martini V. Res ita se habuit. Instabant Poloniæ legati, ut proscriberetur libellus quidam Joan. a Flanchenberch. Defatigati Patres poscebant discendi licentiam. Ecclesia diu vexata schismate pacem jugiter expectabat. Quamobrem respondit Pontifex: *Quod omnia, & singula determinata, conclusa, & decreta in materiis fidei per præsens Sacrum Generale Concilium Constantiense conciliariter teneri, & inviolabiliter observari volebat, & nunquam contravenire quoquo modo; ipsaque sic conciliariter facta approbat, & ratificat, & non aliter, nec alio modo*. His verbis expedire se voluit Martinus V. ab importuna Polonorum petitione, eis significans, non fuisse decretam conciliariter proscriptionem præfati libelli Jo: a Flachenberch, & ideo nolle de illo sententiam dicere, vel jactatam proscriptionem confirmare; quum satis superque fuerit, in illis rerum angustiis rata habere, & probare, quæ circa fidem decreta fuerant; nempe contra Jo: Witcleph, Jo: Hus, & Hieronymum de Praga. Quid aliud confirmaverit Martinus V. nullus conjicio. Quod in aperto est, mox subjiciam, nempe Martinum V. voluisse, edita constitutione, iterum hæreses, & errores denuntia-

tiatos in Concilio damnare, quia lata confirmatio insufficiens censebatur: tum quia responsio alio spectabat: tum quia recitative, & non definitive erat prolata: tum quia nulla subscriptione, neque Patrum, neque ipsius Pontificis inveniuntur acta signata. Quo plus fodiunt Adversarii, nequicquam laborant.

Cæterum si, sepositis partium studiis, res pacato animo excutienda est: ab Gallis præcipue improbata fuisse gesta Concilii Constantiensis in confesso est. (1) Ludovicum Maimburgum appello, (2) & Petrum de Marca Archiepiscopum Parisiensem, & si minime erga Romanum Pontificem benevolos, qui aperte contendunt, a nemine fore Papam judicandum, nisi a fide devius deprehensus fuerit. Quamobrem Maimburgus narrat, Gallos pro veritate sapientes, nunquam factum Concilii Constantiensis adversus Joannem XXIII. æquo animo tulisse, sed actutum reprobasse. Erat enim Theologis, aliisque Doctoribus alte infixum, non alia esse via incedendum, quam per voluntariam Pontificum contendentium cessionem, ut res ad finem perduceretur. Hinc male ab aula Regia excepti fuerunt Ebroicensis, & Carcassonensis Episcopi, qui primo

(1) Maimb. hist. Schisma occid f. c. l. 5.
(1) Petrus de Marca de Concord. Sacerd. & imp. l. 1. c. 11.

mo ad Regem detulere depositionem Joannis. Graviorem pertulit jacturam Joannes a Castillione redux Constantia Parisios, qui coram Principe Ludovico Delphino ausus factum Concilii defendere, carceri mancipatus, pœnam luit. Ab hujusmodi factis abhorrendum esse ajebat sapiens Princeps, quia si semel admittuntur facinora adeo enormis exempli in Ecclesia, adversus supremum Pontificem, non longe aberit, quin etiam in Patrem Regem, eadem violentia ab insana factione tentetur. Ex his discant adversarii, quam ficulneum argumentum comparent ex Concilio Constantiensi.

§. X.

Ex Concilio Basileensi objectio ducta retunditur.

De dissidio in dissidium, de pugna in pugnam, de schismate in schisma adversariorum objectiones procedunt. Si hujusmodi exempla quidquam obtinerent, profecto actum esset de quolibet jure Monarchico, & cujuslibet inferioris ordinis Principatu. Nonne coacti Principes a perduelli subditorum pervicacia, plurima indulgere tempori, & necessitati compulsi sunt, quæ fas, & æquum apertissime prohibebant?

Hi-

Historia Concilii Basileensis profertur, in quo iterum decreta Constantiensia sess. IV. & V. repetita leguntur. Narratur, Eugenium PP. IV. tunc sedentem, qua precibus, qua minis, coactum fuisse, indictam dissolutionem Concilii revocare, & facti pœnitentem acta rescissa convalidasse, auctoritatemque Patribus prorogasse, donec arrogantiæ illius cætus ruentis in apertum schisma, pertæsus Eugenius irretractabilem dissolutionem Concilii indixit, & Ferrariam transtulit. Quid inde secutum sit, produnt historici scriptores, nempe Concilium Canonice inchoatum, tumultuarie protractum obducta per fas, & nefas superioritate in Papam, tandem in apertam perduellionem adversus Eugenium, & dirum schisma luctuose devenisse.

Exemplo adeo horrendæ memoriæ totis viribus sese committunt adversarii, quos egregie, una cum suis Basileensibus perstrinxit olim Episcopus Meldensis ad Eugenium ablegatus, nomine Caroli VII. Christianissimi Regis. Condoluit disertissimus Orator Pontifici, simulque flagitium Basileensium execratus, in hæc verba erupit: (1) *Nimio fervore resistendi ad hanc vesaniam* (Basileenses) *devenerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere denegant, sed eam in multitudine, quæ cito*

(1) Raynald. ad an. 1441. n. 10.

to in diversa scinditur, collocant; & sic pulcherrimam Monarchiam Ecclesiæ, quæ Christianos hucusque tenuit in veritate fidei, in una professione Religionis Christianæ, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, nunc abolere, & supprimere contendunt, nobilissimam politiam, quæ beatitudinem Cælestem habet pro fine, ad Democratiam, vel Aristocratiam redigentes; & ulterius in malis procedendo, unum sibi in caput assumpserunt, qui non eis præfertur, & sic schisma factum est, nedum in obedientia capitis, sed & in doctrina Evangelii, quod omnibus Christianis abominandum est.

Perspicua hæc sunt, & abunde objectionem allatam infringunt. Urgentiora tamen supersunt. Translato Concilio Ferrariam, Basileensis Conventus Præsules pertinaci studio sessiones prosequi non destitere, & quaquaversum Summum Pontificem Eugenium IV. appetere non formidarunt. Ut intentum suum perficerent, per summam temeritatem constituerunt, esse veritatem fidei declaratam per Constantiense, & Basileense Concilia Generalia, quod potestas Concilii Generalis repræsentantis universalem Ecclesiam, sit supra Papam, cui veritati quilibet pertinaciter repugnans, censendus sit hæreticus. Effrenatę cupiditatis ęstu abreptos Basileenses extra Officii limites furor abstraxit. Actutum sacrilegas veritates pro-

scri-

scripsit (1) Eugenius in Concilio Florentino, inquiens: (2) *In hoc perniciosissimi* (Basileenses) *dum suam malignitatem sub veritatis fidei fuco colorant, Constantiense Concilium in malum, ac reprobum sensum, & a sana doctrina penitus alienum pertrahunt; cæterorum hæreticorum, & schismaticorum falsam doctrinam sequentes, qui confictos errores, & impia dogmata ex divinis scripturis, & Sanctis Patribus perverse intellectis, semper sibi adstruere moliuntur.*

Quid intellexerit Eugenius, quid præseferant ejus verba, ex terminis fit palam. Nimirum acta Constantiensia induxisse superioritatem in Papam dubium, in Papam devium a fide, & in casu schismatis obdurati, unitatem Ecclesiæ scindentis. Basileenses vero novum schisma meditantes, mendacia pro veritatibus fidei confingere præsumpserunt, accersendo perverse Concilii Constantiensis decretum, ut etiam adversus certum, & indubitatum Pontificem prævaleret. Frustra ille cætus operam impendit, sibique peperit maledictum usque ad seram posteritatem execrandum.

Instant Adversarii: Eugenium IV. non semel probasse acta Basileensia. Fateor, id egisse Eugenium, ut qua Pater, qua Pastor, gregem aberrantem, & recalcitrantem colli-

(1) Constit. incipien. *Moyses vir Dei*.
(2) Raynald. ad an. 1439. an. 29.

colligeret, nunquam tamen ex animo quidquam vel minimum vulnus Pontificio culmini inferendi. Quod adeo exploratum est, ut cum (1) Eugenius IV. scripsisset ad Episcopos Leodiensem, & Bononiensem, aliosque per Germaniam constitutos Apostolicæ Sedis legatos, illis permittens confirmare, si opus erat, Concilia Constantiense, & Basileense, ad devinciendam sibi illius nationis obedientiam, præcepit tamen, & declaravit: *Sic Concilia Generalia Constantiense, & Basileense ab ejus initio, usque ad translationem per nos factam absque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac potestatis sibi, & in eadem sedenti, in persona B. Petri a Christo concessæ, cum omni reverentia, & devotione suscipimus, amplectimur, & veneramur*. Quodnam autem vellet Eugenius illæsum, & intactum ex privilegiis Petri, & Sedis Apostolicæ, jam perspicue explicaverat, & declaraverat in proscriptione Pseudoveritatum, per suam Constitutionem *Moyses* editam approbante Sacro Concilio Florentino; ubi propositiones Basileenses sub ementito nomine veritatis, tanquam impiæ, schismaticæ, & hæreticæ damnatæ fuerunt.

Præstat tandem in Adversarios retorquere verba Ladislai Regis Hungariæ, quum pro-

(1) Raynald. ad an. 1446. n. 3.

provolutus ad pedes Nicolai V. (1) in hæc verba præfatus est: *Cum animadverto, Beatissime maxime Pontifex, me apud inclitos pedes Sanctitatis tuæ constitutum, quæ inter mortales Dei omnipotentis vicem gerit... quibus verbis te unicum Christianorum Principem, & Regum Regem, atque in terris Deum adorem, non facile constituere possum. Tu, inquam, dignissime militantis Ecclesiæ es caput, quæ non sine ratione ad triumphantis exemplar dicitur ordinata: nam ut in illa Unus Deus, Creator omnium sceptrum tenet, ita in hac tibi uni tantum Dei Vicario totius Orbis imperium delegatum esse constat.*

§. XI.

Academiæ faventes superioritati Concilii expenduntur.

BAsileensibus decretis de superioritate Concilii in Papam adhæsere celebres universitates tunc temporis in eadem Sententia constantes; nempe Parisiensis, Viennensis, Coloniensis, & Cracoviensis. Igitur (urgent Adversarii) superioritas Concilii suo constat pondere, & auctoritate. De vi hujus argumenti nunc agimus, quam elumbe sit probaturi.

(1) Raynald. ad an. 1452. n. 5.

Pius II. olim Æneas Silvius Piccolomineus nuncupatus, politioribus literis ornatus Basileæ subsistens, Concilio ibi inchoato, usque ad conflatum schisma, acerrime inhæsit; adeo ut tam epistolis, quam composito per modum dialogi libello, Rectorem, & universitatem Coloniensem impulerit, ut pro Concilio adversus Eugenium IV. quod opus esset, impenderent. Ad Pontificatus apicem evectus, facti pœnitens, & excussis prioris propugnatæ opinionis nebulis, dato diplomate ad eundem Rectorem, & Universitatem Coloniensem, publice damnavit temere pronuntiata dicens: *Seducti peccavimus, ut Paulus, & ignoranter persecuti fuimus Ecclesiam Dei, & Romanam, primamque Sedem. Pudet erroris, pœnitet male fecisse. Dilectiones vestras hortamur, ne prioribus illis scriptis inhæreatis, aut fidem ullam præstetis, quæ supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem, quovis pacto elidant, aut aliquid adstruant, quod Sacrosancta Romana Ecclesia non amplectitur. Nec putetis divinam providentiam inordinatam reliquisse militantem Ecclesiam. Requisit autem ordo, ut inferiora a superioribus gubernentur, & ad unum tandem perveniatur Principem, & moderatorem cunctorum. Sicut Grues unam sequuntur, & in apibus unus Rex, ita & in Ecclesia militante, quæ instar triumphantis habet, unus est omnium*

mo-

moderator & arbiter Jesu Christi Vicarius. An adhuc per hæc verba subsistant decreta Basileensia in pravum sensum traducta, ut contendit modernus Scriptor, Lector sit Judex.

Omnes recensitæ universitates, præter unam Parisiensem, perperam a se dicta in æstu pugnacissimæ contentionis, ejurarunt, & sententiam Romanæ Sedis de Pontificia superioritate in Concilium tota cordis professione amplexæ sunt, & pro aris, ac focis adhuc defendunt. In eandem rem monumentum aliud afferam. In quæstione inter Victorem I. & Episcopos Asiæ, circa tempus celebrationis Paschæ; quanto tempore disceptatio, & pertinacia inobedientiæ exarsit? Attamen narrat Nicephorus: (1) *Quod vero sermo non persuasit, id dies postea perfecit. Nam hac in re Asia vix tandem cessit, & ubique terrarum in Orbe decretum est, ut non cum Judæis, sed ipso dominico die Mysterium Paschæ peragatur*. Veritas tandem illuxit, & in dies perduxit Asiaticos ad obsequendum Apostolicæ Sedi. Nunc quoque in dies illucescit suprema Papæ auctoritas, paucis invisa, sed cæteris plenissime explorata.

Si celebres Scriptores, si integerrimos Doctores, si illustres tam Sanctitate, quam eruditione viros nobis objiciant Adversarii;

(1) L. 4. Hist. c. 39.

adversus superioritatem Papæ in Concilium olim sentientes, nihil officiunt veritati. Quot opiniones audivit antiquitas a celeberrimis viris propugnatas, quas posteritas, & præcipue Romana Sedes damnavit? Hinc Vincentius Lirinensis exclamat: (1) *O rerum mira conversio! Auctores ejusdem opinionis Catholici, consectatores vero hæretici judicantur: absolvuntur magistri, condemnantur discipuli*. In spem tamen maximam erigimur, ut quemadmodum tot Academiæ insignes priorem antiquavere opinionem, & undique doctrina præcellentes in hanc nostram conspirarunt sententiam: Ita fiet, ut omnium sit unum labium, & mentis studium: eventu comprobaturo (2) Venerabilis Bedæ effatum de suis Anglis in Asiatica celebratione Paschæ perseverantibus: *Qui gratia charitatis fervere non omiserunt, hujus quoque rei ad perfectum percipere meruerunt, juxta promissum Apostoli dicentis: etsi quid aliter sapitis, & hoc quoque vobis Deus revelabit*.

§. XII.

(1) Common. de rebapt. c. 2.
(2) Beda hist. Angl. l. 3. c. 4.

§. XII.

Antiquitas opinionis de ſuperioritate Concilii apud Univerſitatem Pariſienſem circumſpicitur.

COonſtat inter omnes eruditos, Sancti Irenæi, Sæculo II. Epiſcopi Lugdunenſis ſententiam fuiſſe, in Eccleſia Romana ſemper illibatam permanſiſſe Apoſtolicam traditionem: Quæ verba argumento ſunt, potiori jure cedendum eſſe Theorematibus, quæ apud Romanam Sedem propugnantur, quam iis quæ alibi circumferuntur. In cauſa Symmachi Papæ, qui æmulorum improbitate poſtulabatur ad Judicium Synodi, ſcripſit S. Avitus Sæculo VI. Viennenſis Epiſcopus: (1) *Non facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminentior judicetur, quod Synodus ipſa venerabilis laudabili conſtitutione proſpiciens, cauſam, quam (quod ſalva reverentia ſit dictum) pene temere ſuſceperat inquirendam, divino potius reſervavit judicio. In Sacerdotibus cæteris poteſt, ſiquis nutaverit; reformari: at ſi Papa Urbis vocatur in dubium, Epiſcopatus jam videbitur, non Epiſcopus vacillare.* Eadem ſcripſit Ennodius Ticinenſis Diaconus, cauſam ejuſ-

(1) Ep. 2. ad Senatores Feſt. & Symm.

dem Symmachi in Synodo Palmari defendens; inquit enim: (1) *Aliorum forte hominum causas Deus voluit per homines terminare, Sedis istius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit Beati Petri successorem Cælo tantum debere innocentiam*. Plurimi fecit hunc librum quarta, & quinta Synodus sub Symmacho coacta, adeo ut inter acta inferi præceperit: *Quia Synodali auctoritate conscriptus est, & roboratus.*

Haud absimili voce conclamarunt octavo Sæculo Episcopi Galli in Concilio Romano coram Carolo Magno convocati, quum de criminatione objecta Leoni III. ageretur: Verba sunt:(2) *Nos sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ipsa nos omnes, ipsa nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit.*

Seculo IX. Hincmarus Remensis Episcopus, in priori libello oblato Synodo Suessionensi III. (3) laudat Gelasii I. verba, quibus evidentissime constat ejus menti alte infixa fuisse duo illa privilegia Romanæ Sedis, nempe & infallibilitatis, & exceptionis a superiori judicio. Præstat verba referre. (4) *Patres nostri, Catholici videlicet,* *do-*

(1) In libel. pro Symmach. PP.
(2) Anastas. in Leone III.
(3) Sirmond. t. 3. Concil. Gall.
(4) Ex Gelas. epist. 11. ad Episc. Dardan.

doctique Pontifices (Romani) *quicquid pro fide, pro veritate, pro communione catholica, atque Apostolica, secundum scripturarum tramitem, traditionemque majorum, facta semel congregatione sanxerunt, inconvulsum voluerunt: deinceps, firmumque constare, nec in eadem causa denuo, quæ præfixa fuerunt, retractari qualibet recenti præsumptione permiserunt. Sapientissime pervidentes, quoniam si decreta salubriter cuilibet liceret iterare, nullum contra singulos quosque prorsus errores stabile persisteret Ecclesiæ constitutum, ac semper iisdem furoribus redivivis integra definitio turbaretur.*

Gregorius IV. quum in Gallias venisset, insidiantes Gallos Antistites, & depositiotionem ei comminantes, compescuit, munitus quibusdam regulis a Paschasio paratis, quibus valide eos fudit. Ipse Paschasius rem prodit, dicens: (1) *Unde, & ei dedimus nonnulla SS. PP. auctoritate firmata, prædecessorumque suorum conscripta, quibus nullus contradicere possit, quod ejus sit potestas, imo Dei, & B. Petri Apostoli, ire, mittere ad omnes gentes pro fide Christi, & pace Ecclesiarum, pro prædicatione Evangelii, & assertione veritatis, & in eo esset omnis auctoritas Beati Petri excellens, & potestas viva, a quo oporteret omnec judicari; ita ut ipse a nemine judicandus esset*. Duodecimo Sæculo insi-

(1) l. 2. in vita Walæ Abb.

signe est testimonium S. Ivonis Carnotensis, qui pluribus suam explicavit sententiam de suprema auctoritate Papæ. Scripsit enim: (1) *Non est nostrum judicare de Summo Pontifice. Habemus enim Evangelicam sententiam, quæ securos nos facit.* (2) Et alibi dixit: *quoniam judicia Ecclesiæ Romanæ a nemine foris tractari posse, eadem Ecclesia Romana docente didicimus.*

Plura congerere piget. Meminerim tantum adesse nostra ætate scriptorem, nempe Petrum de Marca, qui aperte enuntiat: (1) *Persona Pontificis a nemine judicatur, ex Synodo Romana sub Symmacho, & ex Ennodio. Eandem Ecclesiæ Gallicanæ sententiam, Romanum Pontificem a nemine judicandum, professus est Carolus Magnus, & cæteri Galli in Synodo Romana .. Sane in causa hæreseos publice professæ, & schismatis, quin de Romano Pontifice fieri possit judicium, nullus unquam scriptor dubitavit. Quamvis sententiam malint declaratoriam dici, quam condemnatoriam..* Et quamvis idem Archiepiscopus asserat: *Solet a plerisque pragmaticis hoc fere præcipuum constitui libertatis Gallicanæ Theorema, Concilium Oecumenicum superius esse summo Pontifice.* Attamen adnotat Stephanus Balutius: *Confu-*

(1) Ep. 233. ad Henric. Abb.
(2) Ep. 159. ad Paschal. II.
(3) De Concord. Sacerd. & Imper. l. 1. c. 11.

futatur communis opinio, quæ docet præcipuam libertatum regulam hanc esse, ut Concilium Oecumenicum superius Rom. Pontifice dicatur. Quamvis hęc sit scholę Gallicanę sententia, non est una ex libertatibus Gallicanis.

Hactenus dicta plane ostendunt, admodum sero fuisse, & esse invectam scholæ Parisiensis opinationem, ac nonnisi pessundata majorum sententia, traditioneque mentes Gallorum occupasse. Quamobrem communior sensus est, superioritatem Concilii in Papam a tempore schismatis trium contendentium Pontificum accersiri debere; ac deinceps in Concilia Pisanum, Constantiense, & Basileense illatam, adeo infauste adolevisse, ut extincto uno schismate, aliud deterrimum fuerit enixa. Recolendum tamen velim, decreta Constantiensia non aliam sententiam tradidisse, nisi Concilium esse Papa superius in casu schismatis, de quo tunc agebatur, ut alibi ostendimus. Plures tamen Doctores ejudem Parisiensis scholæ præfatam opinionem rejiciunt, & ipse Petrus de Marca pugnantem esse cum tota antiquitate fatetur, & probat. Quare, si veritati locus relinquitur, dicendum sentio; opinionem ex contentione ortam, in contentione enutritam, & in contentionem pragmaticorum prolapsam, tandem, luce pacis effulgente, in antiquam sententiam revocandam fore.

§. XIII.

§. XIII.

Objectio de prætenso jure appellandi a Romano Pontifice ad Concilium Generale obteritur.

PLura de hoc abusu in superioribus egimus, ostendendo, irrepsisse in Ecclesiam ex hæreticorum, & schismaticorum effræni petulantia, ut Pelagianorum, & Donatistarum exempla abunde demonstrant. Hinc Sanctus Nicolaus I. secutus constituta præcedentium Pontificum, & Synodorum, scripsit: (a) *Nec de ejus sanctæ Sedis judicio Canones unquam præceperunt judicare, sententiamque constituerunt, non oportere dissolvi: cujus potius sequenda decreta mandarunt*. Ubi autem ex dispensatione retractari delegerit, de sententia ejusdem Apostolicæ Sedis tantum indulgentia hujusmodi habebit effectum. *Quoniam*, inquit idem Nicolaus, *cum secundum Canones, ubi est major auctoritas, judicium inferiorum sit deferendum, ad dissolvendum scilicet, vel ad roborandum: patet profecto Sedis Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio*. De sententia retractanda utique intelligendus ve-

(1) Ep. 8. ad Michael. Imp.

venit S. Nicolaus, citra fidei, & morum dogma, de quibus nefas est mutare judicium semel emissum. Verum de hujusmodi appellationibus, quæ intercedunt, annuente Sede Apostolica, hic non est sermo; sed de illis appellationibus, quas nonnulli interponere prætexunt, nempe ab ipsa Sede Apostolica, etiam invita, ad Concilium Generale, tanquam Judicem legitimum, ac competentem supra Papæ judicium. Has detestatus est Gelasius PP. adversus Acacianos objicientes ex Canone eas esse permissas, scribens: (1) *Opponunt nobis Canones, dum nesciunt, quid loquuntur. Canones appellationes totius Ecclesiæ ad Apostolicæ Sedis examen voluere deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt.* Deinde hujusmodi malignos zelatores perstringens ait: *Sed religiosi viri, atque perfecti, secundum Canones concessam Sedi Apostolicæ potestatem, nimirum conantur eripere, & sibimet eam contra Canones usurpare contendunt. O Canonum magistros, atque Custodes!*

Adversus hujuscemodi rebellem audaciam Prius II. in Synodo Mantuana pronuntiavit Anathema, & ut perfidiam hæreticam confodit. Idem dato diplomate edixit Julius II. & successores Pontifices quotannis in Cœna Domini eodem fulmine hujus gene-

(1) Ep. 4 ad Faust.

neris delinquentes feriunt. Viderint deinde illi, qui negant has constitutiones se recepisse, an per hanc excusationis larvam censuras latas ab habente in universos, & ubique auctoritatem declinare valeant. Viderintque insimul, an Christianis coactis ex vi catholicæ professionis obedire Summo Pontifici, liberum sit acceptare pro libito obedientiæ leges, & pœnas, discantque Principes, & subditi, quam lata porta his doctrinis pandatur laxitati rebellionis adversus Rempublicam, & desciscendi ab imperio.

His jactis, ab objectis me expediam; opponunt enim adversarii, antiquam esse libertatem appellandi a judicio Romani Pontificis ad Concilium Generale. Non inficior. Tum boni, tum mali ab initio exempla prodierunt. Sed auctores una quoque producere oportet, & causas percensere, ut sua cuique vel laus, vel execratio respondeat. Vidimus jam superius, vel hæreticos, vel schismaticos hujusmodi appellationum Proto-Magistros fuisse. Legere etiam est hoc deliramentum sæculo potissime decimo tertio invaluisse, & deinceps repetitum ab historicis referri. Sed quorsum ista? Sedes Apostolica statim male partas appellationes condemnavit, auctoresque censurarum stigmate inussit; ut videre est apud Paulum Langium in Chronico, & in supple-

plemento Abbatis Uspergensis. Perstrepit adhuc rumor interjectæ appellationis totius Gallici Regni una cum Rege Philippo Pulchro adversus Bonifacium octavum, nec non alia fœda exempla deinceps referuntur. Verum non defuit antidotum, quo sanior pars ab infectione redempta fuit; & malum intentatum elisum, & extinctum est. Pius II. in Mantuana Synodo has appellationes, tanquam hæreticas proscripsit, & Julius II. eodem modo damnavit. Quod si nondum huic morbo est finis; cum doctissimo Melchiore Cano subjiciam: (1) *Sed provocaverunt*, inquit, *Doctores Parisienses a Concilio Lateranensi, & appellatio nomine Academiæ circumfertur. Quorum illa fuerit, hic non disputo. Illud adstruo, non sine Ecclesiæ scandalo, atque pernicie circumferri. Extat anathema Pii II. in eos, qui ad futurum Concilium appellaverint, & sine Pii causis, quas multas suis literis reddidit, manifestum est, rem hanc & hæreticorum omnium summum patrocinium esse, & fenestram vel maximam aperire, ad obedientiæ Ecclesiasticæ jacturam, ac perniciem veræ pietatis.*

Iterum Adversarii reclamant dicentes, Papam esse membrum Ecclesiæ Universæ, principale quidem, quia caput est; Concilium vero Generale, utpote universam Ecclecle-

(1) De loc. Theol. 5. c. ult. ad 9.

clesiam repræsentans, & vicem tenens, esse ipsum corpus Ecclesiæ. Quid autem absurditatis culpanda venit appellatio a parte ad totum, a minori ad majus? Hoc scitissime probavit Divus Augustinus, qui de primis Donatistis adversus Melchiadis judicium expostulantibus, scripsit: (1) *Ecce putemus illos Episcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuisse, restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum sententiæ solverentur*. Et alibi idem Sanctus Doctor Pelagianis exprobrat pertinacis erroris petulantiam, adhuc (2) *post factum illis competens, sufficiensque judicium*, nempe per Romani Pontificis Innocentii I. sententiam. Quod enim competens, & sufficiens dicitur, utique justum judicium est, sed nondum finale, & ultimum declaratur, quia restat ulterius plenarium judicium Concilii Generalis.

Plurimum magnificant Adversarii relatum argumentum, perinde aci esset Sampson insuperabilis roboris. Sed recisis paucis crinibus vires deficient. Non repugno, corpus Ecclesiæ constari ex capite, & membris, quæ procul dubio unita in corpore, sunt solo capite quid majus. Sed de hac am-

(1) Ep. 162.
(2) l. 3. contr. Jul. c. 1.

amplitudine non est sermo. Quoniam quæstio præsens est de auctoritate, & potestate, quam Christus in Romano Pontifice, ut capite posuit, neutiquam in reliquo corpore, nisi per originem a capite, ut pluries ex ipsis Christi verbis, & ex perpetua traditione Patrum ostendimus. Insuper perspicuum est, corpus ipsum Ecclesiæ, præciso capite neque definire quicquam irrefragabiliter posse, neque referre, neque ventilare. Quapropter plura vidimus in Conciliis Generalibus acta, & constituta, quæ vel deleta, vel rejecta a Romano Pontifice, prorsus vacua robore, & irrita, ac infecta in Ecclesia remanserunt. Ecquis censebit in hoc rerum statu, integrum esse appellare a Papa ad Concilium? Nonne etiam totum Regnum est quid majus solo Rege? Quia tamen tota auctoritas politica, & potestas in Rege residet; *stultum est illud admonere, a Principe appellari fas non esse, cum ipse sit, cui provocatur*; inquit Ulpianus Juris Consultus.

Ad auctoritatem Divi Augustini facilis occurrit responsio. Agebatur cum Donatistis de causa ad disciplinam spectante, ut in comperto est. Itidem agebatur cum hominibus stolide pertinacibus, quos flectere adeo arduum erat. Quamobrem Sanctus Doctor indignatus, veluti ob supercilium Donatistarum, inquit; Restabat Concilium

Ge-

Generale cogere, ut, annuente Romano Episcopo, iterum eorum causa retractaretur, & omnium votis, eorum pervicacia retunderetur. Idcirco dedit illis Constantinus Imperator, annuente Melchiadis successore, Arelatense judicium, cupiens tantam impudentiam cohibere. Exemplum aliud dari potest. Post damnatas Lutheri hæreses coactum fuit Concilium Tridentinum; cum ad alliciendos hæreticos, ut edoceri paterentur; tum ut tot gliscentibus erroribus per doctrinam fidei opportune obviaretur; tum ut ipsi Episcopi plene edocti de virulenta hæresum labe, reduces in provinciam aptiores fierent ad continendos in fide populos; tum ob alios plurimos fines, qui contingunt, necessitatem inducentes Concilia cogendi. Quæ omnia probant, non quidem hujusmodi Concilia esse Papa superiora, sed tantum iterari judicia ad utilitatem fidei, & Ecclesiæ. Adeo ut si nunc spes affulgeret flectendi hereticos, procul dubio benigna, & pia mater Ecclesia in aliud Concilium festive coiret, ad docendum, non ad revocandum in dubium res definitas, ut alibi plenius a nobis est dictum super unione Græcorum cum Latinis feliciter, & utinam finaliter in Concilio Florentino inita.

Hinc dici posset competens, & sufficiens judicium prioris Concilii, quin posterius

rius Concilium sibi superioritatem arrogare posset in præcedens. Perinde laudatum Concilium Florentinum nullam auctoritatem acquisivit supra Lugdunense, esto definitio processionis Spiritus Sancti iterum admissa fuisset in disputationibus. Itaque dixit Divus Augustinus, fuisse datum Pelagianis sufficiens judicium ab Innocentio I. quia causa plene finita fuit, neque ob eam necesse erat aliud judicium expectare. Si vero Pelagiani paratos sese ostendissent errorem dediscere, & fidem amplecti, etiam plenarium Concilium fuisset illis concessum, quin Romano Pontifici fuisset derogatum. Igitur si hac de causa nihil detractum priori Concilio, a posteriori Concilio omnes communi calco censent; cur detractum volunt adversarii superioritati Romani Pontificis, si contigerit post ejus competens, & sufficiens judicium, ipso annuente, indicente, & regente Concilium, iterum causam retractari? Idem Augustinus loquens de Concilio Arelatensi concesso Donatistis post sententiam Melchiadis, annuente S. Silvestro, ait: *dedit illi Arelatense judicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens*. Quare non erat necesse? Nisi quia primum judicium erat absolutum, & finale, quod ex gratia, & benignitate tantum retractari poterat, neutiquam ex justitia.

Hæc eſt manſuetudo Eccleſiæ Romanæ, *quæ licet primatum habeat, attamen humiliat ſe ipſam*; ut egregie adnotavit (1) Hugo Etherianus Scriptor duodecimi ſæculi.

Et quia nuperrimus Scriptor plenis tibiis buccinat, Auguſtinum vocare competens, & ſufficiens judicium Papæ, quia adhuc reſtat plenarium Concilii judicium, cogimur eundem Auguſtinum conſulere, qui contra Pelagianos perinde inſurgit. (2) *Veſtra vero apud competens judicium communium Epiſcoporum modo cauſa finita eſt. Nec amplius vobiſcum agendum eſt, quantum ad jus examinis pertinet, niſi ut prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini*. En Epiſcopale Africæ judicium ab Auguſtino vocatum competens! Ubi vero de ſententia Romani Pontificis differit, compellat illam judicium competens, atque ſufficiens, ut cauſa finita ſit, & finita dici debeat. Propterea ad Sanctum Bonifacium idem Sanctus Doctor ſcripſit: (3) *Hæc execrabilia dogmata*, (nempe Pelagiana) *tenentes, & ſeminantes, adhuc inſuper flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam*. Quare? Quia cauſa plene, atque plenarie finita eſt. Aliter ſapere, eſt verbis ludere. Fi-

(1) l. 3. de hæreſ. quas Græci in Latin. devolvunt. c. 16.
(2) l. 3. contr. Jul. c. 1.
(3) l. 1. c. 24.

Finem & nos huic capiti imponamus auctoritate Pii II. Pontificis Maximi (1) ad Norimbergenses in hæc verba scribentis de appellationum, & appellantium audacia: esse hæresim, *quæ a parvo tempore citra sensum visa suboriri, pullulavit, quæ sub ovium vestibus lupos rapaces intrinsecus celans, sub appellationis specie, Ecclesiæ satagit unitatem convellere. Nam siqua Christi unicus Vicarius Canonibus sacris etiam, & juri scripto inhærnedo, decrevit, statuitque, & servari, ut dignum est, præcepit, calumniatores malevoli, & perversi subterfugere justitiam præsumentes, per ludibria frivolarum appellationum ad futurum Concilium, seu ad id, quod nusquam est, ac supra Christi Vicarium esse, aut reperiri nequit, obedientiam, quæ est de necessitate Ecclesiæ, & salutis universorum, improbe declinant, ac temere. Hanc igitur diabolico spiritu, & instinctu novitatem exortam considerantes, in totius Ecclesiæ Catholicæ non tantum enervationem, sed eversionem, in Mantuano Conventu sæpe, & multum discussam damnavimus.*

(1) Raynald. ad an. 1459. n. 38.

§. XIV.

Nonnulla dubia ab Adveſariis objecta expediuntur.

CLamitant adverſarii. Si diſſidium in Judicio errumperet Patres inter,& Romanum Pontificem Concilio præſidentem, cui ſtandum eſſet? Nonne potius pluribus in unam coeuntibus ſententiam, quam uni ſibi ſoli fidenti? Reſpondeo. Patres Ariminenſis Concilii numero præpollentes adverſus perpaucos Epiſcopos in veritate fidei, & juſtitiæ conſtantes turpiter erraverunt, ut eſt notorium. Peto: cui parti inhærere debuiſſet Liberius PP? Eadem perinde inquiri poſſunt ſuper latrocinalis Epheſini Concilii diſſidio; an multitudini debuiſſet adhærere Magnus Leo? Ecce itaque quomodo inter ſe colliduntur exempla: (1) *Quaſi refutari nequeat, quod illicite voluerit multitudo.*

Quod verum ſentio, proferam: Duplex judicium in Conciliis occurrit. Aliud diſcretivum, quod ad conquiſitionem rei definiendæ pertinet. Aliud finale, quod rem fidei declarat, & definit. Si diſſidium in primo judicio emergat, ſuperſedendum omnino eſt, donec diſſidentes cohæreant. Si con-

(1) Leo M. ep. 41. ad Anatol.

contingat in finali, omnino ſtandum eſt Papæ definitioni. Quia, ut hucuſque probatum eſt, Papæ commiſſum eſt a Chriſto Domino, ut fratres indeclinabili judicio confirmet in fide. Neque Concilio, præſente Papa, datum eſt, ut quidquam definiat, niſi ex ſententia Papæ: Aut ſi quid, indulgente Papa, definiat, nullum robur habeat, niſi auctoritate Papæ roboretur. Hinc Baſileenſe Concilium, ab Eugenio diffidens, enormiter erravit, & in ſchiſma corruit. Quod argumento eſt, cuncta bene cedere, ſive Concilio, ſive Eccleſiis, ſi Petro, ejuſque ſucceſſoribus conſocientur, & incumbant; in deterius vero prolabi, ſi ab illo ſejungantur, vel cum illo contendant.

Repetunt Adverſarii; Doctores inſignis nominis, & auctoritatis, etiam apud Pontificios, aliter admodum ſentire. Sed quid mea refert? Omnes veneror, plures legi, ſed malo nitidam veritatem amplecti. Si antiqui ſunt: Flagrante diſſidio, vel tempore ſchiſmatis, vel proxime poſt illud ſcripſerunt, adeoque plura falſis hinc inde miſcuerunt. Si vero moderni Scriptores proferantur; probo, ſi Cathedræ Petri omnino adhæreſcant; ſi minus, abjicio. Divus Hieronymus Damaſum, ut Magiſtrum compellans, ab errandi periculo prorſus deflexit; S. Cyprianus vero, a Stephano diſſentiens, in errorem dilapſus eſt.

Si ita est; (importuni postulatores redeunt) Eccur in Concilio Tridentino adeo magnifice de Romano Pontifice sentiente, definitum non fuit, superiorem eum esse Concilio? Ab his molestiis facili negotio me expedio, retorquendum in hujusmodi petitores pudorem illum, quem nobis offundere conantur. Ex historia Concilii Tridentini ab Amplissimo Cardinali Pallavicino adornata, discimus, Oratores Ducum Saxoniæ, & Witembergæ, Lutheri, ejusque hæresis Fautores, & sectatores, postulasse, inter alia Catholicæ Religioni perniciosa, ut instauratis decretis sess. IV. & V. Concilii Constantiensis, Patres illi suam supra Papam firmarent auctoritatem; ad sensum nempe impie obtortum Basileensis conventus. Hic sisto. Agnoscunt ne adversarii, cujus generis sint hujusmodi advocati, eorum causæ patroni, & sententiæ fautores? Agnoscunt, quo animo Pontificiæ auctoritati pestem machinarentur? Magnum hæreticorum mysterium! Noverant sibi melius consulere non potuisse, nisi excisa supremi capitis, in Ecclesia visibili, excellentia, aliam Ecclesiam conderent, eamque plena potestate cerebrosis legibus munirent. Ab his insidiis se avertere cupientes sapientissimi Patres, petitores depulerunt, & rati, non indigere Pontificiam superiorem auctoritatem ulteriori additamento, ut splendi-

didiori exciperetur veneratione, nihil de ea dixerunt, (1) ut idem Cardinalis Pallavicinus innuit. Attamen illam continuo cultu prosecuti sunt Patres Tridentini, sæpe repetendo in decretis: *Salva auctoritate Sedis Apostolicæ*. Cæterum (ut dicam quod res est) omnes Episcopi, præter paucos Gallicanos, qui nec decimam partem Concilii implebant, ut monet laudatus Cardinalis, (2) summo flagitabant ardore, ut omnia, & singula privilegia Romani Pontificis in meridie ponerentur, & obloquentium ora obstruerentur. (3) Verum Charitas Pii IV. Patres impulit ad ulteriora procedere in his, quæ ad profligandas exortas hæreses conducerent, dimissa discussione de Pontificia auctoritate opportuniori, & latiori tempori. Pœnituit deinde Gallicanos Episcopos: Quum anno 1682. declarationes in Comitiis Cleri ediderunt; quia Innocentio XII. postea tunc regnanti humiliter scripserunt; *dolere se ex corde, ac ultra quam dici potest, quod in Comitiis sui anni 1682. nonnulla statuta fecissent, quæ Sanctitati suæ displicuerant*. Jam notum est, præfatas declarationes tum infallibilitatem, tum superiorem Papæ auctoritatem Concilio, inficiari.

V 4 §. XV.

(1) In Introduc. c. x.
(2) In Introduc. c. 10. n. 3.
(3) Pallav. l. 19. c. 15.

§. XV.

Testimonia, seu dicta Romanorum Pontificum, quibus se teneri asserunt observare Canones, explicantur.

NIl antiquius fuit Romanis Pontificibus, quam palam rescribere, se custodes esse Canonum, & munus suum esse eos tueri, reddere a violatione immunes, eorumque observantiam pro sua auctoritate, & suprema potestate, promovere, ac imperare. Frequentissime hæ, & similes testificationes leguntur in eorundem epistolis, adeo ut in re obvia supervacaneum ducam, dicta, vel loca proferre, aut indicare. Quamobrem adversarii in his congerendis extra rem studiosi, plurimam ingerunt suspicionem, se hæc nonnisi ad seducendum obtrudere. Quo autem sensu perinde sint locuti, & perpetuo loquantur, res est præsentis instituti scrutari.

Adversarii inique interpretantur hujusmodi testimonia, canendo, planas confessiones esse Romanorum Pontificum, quibus, se subdi Canonibus Generalium Conciliorum, profitentur, perinde ac ipsis Conciliis. Aberrant tamen toto ostio a veritate. Quandoquidem leges universalis Ecclesiæ tanta maturitate constitutæ, pro disciplina, & pa-

& pace Ecclesiarum indictæ, communi obedientia, & usu consecratæ, ipsorumque Romanorum Pontificum auctoritate sancitæ, confirmatæ, & denunciatæ, quem magis onerant, ut eas sartas tectas conservet, quam ipsum Principem Supremum Romanum Pontificem? Undenam fortius, & opportunius patrocinium, & robur nancisci possent, validiusque præsidium accersere, quam ab illo, qui supremum clavum Ecclesiæ tenet, qui plenitudine potestatis gaudet, & ex Religione omnium obedientiam exigit?

Non est adinvenire Monarchiam quantalibet potestate absolutam, quæ leges suas primordiales, & veluti municipalia statuta non habeat, a quibus piaculum sit abscedere. Cui proinde magis incumbit, inviolata ea servare, quam illi, qui Monarchicum regit imperium? Porro feretne veritas, aut amplissimus Monarcha Sæcularis, ut Papa legibus Ecclesiasticis, vel Conciliis institutoribus subditus asseratur, ac perinde Monarcha Rex subjectus suis legibus, & Regno eas ab initio decernenti, pronuncietur? Norunt Advocati Parisienses; Novit ipse supremus Senatus, quæ debuit dissuere, & dedocere, quum sub Francisco I. (1) in causa Concordatorum, & sub Ludovico

(1) Histoire du Concord. Pithov. Histoire du Calvinism. Hist. Battaglin. ad an. 1668. n. 25.

vico XIV. in casu Minoritatis, libros decretorum igni tradendos coacti sunt producere, & tandem postremo, (utinam ad finem) sub Ludovico XV. (1) quum Regiam auctoritatem pessundare, edito libello, per summam injuriam sunt moliti.

Est ne hæc illa fides, si superis placet, qua Regem a subjectione Romani Pontificis excipere plenis tibiis conantur, ut sibi demum utrosque illudendos subjiciant? Palam extollunt Constantiensia, & Basileensia decreta, quum ad prosternendam Pontificiam auctoritatem, quaqua versum trahi possunt: ubi vero eadem Concilia Regibus, Principibus imperant, & comminantur, nihili habentur, & ut errantia traducuntur, ut sibi ipsis tantum sit liberum, utramque auctoritatem proterere. S. Gregorium VII. doctrina celebrem, sanctitate insignem, robore invictum, in extirpandis morum corruptelis strenuum, in vindicandis juribus, & privilegiis suæ dignitatis, & sedis, adamantini animi virum, qua audacia, qua temeritate insectantur, ac discerpunt? Vel quia edixit in Concilio Romano sententiam Papæ a nemine retractari posse, nisi a solo Papa: Vel quia sancivit a Papa nefas esse provocare; e contra a quolibet Tribunali ad Papam licitum, & liberum esse appellare: Vel quia pronunciavit,

(1) Consultation des Avocats. 1727,

vit, Papam à nemine judicari posse, neque habere superiorem in terris: Vel quia dixit, suæ auctoritati licere, contumaces Principes quacunque suprema dignitate fulgentes degradare; adeo ut neque nunc regnantem in Cælis audire permittant, vel communi precationum methodo in terris coli. (1) *Sed manet Petri privilegium, ubicunque ex ipsius æquitate fertur judicium*, cum S. Leone ingeminabo: quia portæ inferi, etsi totus perstrepat orcus, non prævalebunt.

Ab incidenti digressione, proposita ab initio difficultas me nunc revocat. Petebat ista, an potissima cura Romanorum Pontificum, constansque studium custodiendi sancitos Canones inferat eos subjici, & Canonibus, & Conciliis, a quibus decreti sunt. Compendio objecta retulimus; & cuncta diluit D. Thomas sapientissime docens, tunc Principem (2) supra legem censeri, quando auctoritatem suam supra illam exerere valet, vel mutando, vel mutilando, vel derogando, vel dispensando, prout sibi in Domino pro loco, & tempore, vel personis, expedire videtur. Norunt omnes, quæ sint, & quales formulæ Cancellariæ Apostolicæ, in Pontificiis Diplomatibus insertæ, ubi etiam de medio tolluntur Concilia Genera-

lia

(1) Serm. 2. in Anniversf. suæ Assumpt.
(2) 1. 2. qu. 96. art. ad. 3.

lia, quatenus indultis obstant, vel obstare creduntur. Teneri tamen legi Principem, docet Angelicus Doctor, non quantum ad vim coactivam, sed quantum ad vim directivam. Verba recitare præstat. Princeps *dicitur solutus a lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si agat contra legem. Sed quantum ad vim directivam legis, Princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur Extr. de Constit. Cap. Cum omnes; ex Innoc. III. Quod quisque Juris in alterum statuit, ipse eodem Jure uti debet; & sapientis dicit auctoritas,* (Catonis scilicet) *Patere legem, quam tu ipse tuleris. Improperatur etiam his a Domino: Qui dicunt, & non faciunt; & qui aliis onera gravia imponunt, & ipsi non digito volunt movere. Unde quantum ad Dei Judicium, Princeps non est solutus a lege, quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus legem implere.*

Hac regula communiti Romani Pontifices, quantum studium impendant, ut Sacri Canones immoti, & inviolati permaneant, nemo nescit. Plene edocti sunt de sententia illa Magni Leonis scribentis: (1) *Tanto divinitus privilegio Nicæna Synodus est consecrata, ut sive per pauciores, sive per plures Ecclesiastica judicia celebrentur, omni penitus auctoritate sit vacuum, quidquid*

(1) Ep. 53. ad Anatol. Constantinopol.

quid ab illorum fuerit constitutione diversum. Et tamen, teste divo Augustino, (1) Posteriora Concilia addunt, minuunt, derogant prioribus, & mutant, quia, experientia præsertim duce, discimus, variare disciplinam, non tantum expedire, sed necessarium fore. Hac potitur potestate Romanus Pontifex, & plane cæcutit in meridie, qui eam inficiatur.

Novi, obtrectatores Romanæ Sedis vulgo pronunciare; Papam non posse agere adversus Canones Spiritu Dei constitutos, & totius mundi reverentia consecratos. Propterea bene spondent Apostolicæ Sedis decretis obedientiam, si a præfatis Canonibus nullatenus discordent. (2) Locutum perinde fuisse, ajunt, Gerbertum Remensem Episcopum, postea Silvestrum II. P. M. Novi, has formulas iterasse (3) S. Ivonem Carnotensem, & passim ab aliis ingeminari. Sed quo diverso proposito, & sensu, nemo ignorat. Illi contendunt, ut Canones omnimode Pontificiam excedant potestatem; Isti vero satis habent, ut nonnisi ex necessitate vel ob publicam causam, aut ob majus bonum Ecclesiæ hujusmodi Canones mutentur, vel dispensatione vulnerentur.

Ita

(1) August. l. 2. contr. Donatist. de bapt. c. 9. & alibi.

(2) Ep. ad Seguin. Episc. Senon.

(3 Ep. 60. ad Hug. Lugdun.

Ita in Gallicis concordatis compertum est contigisse, perperam tota pene Gallia reclamante, & renitente.

Et ne quis importune objiciat S. Ivonem ex Zozimo PP. scribentem: (1) *Non dico, quod contra novos excessus non liceat nova promulgare mandata; sed hoc dico, quod dicit Papa Zozimus Narbonensibus; Contra statuta Patrum concedere aliquid, vel immutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui Patrum decreta sanxere reverentiam.* Statim ad hanc objectiunculam: Respondeo petens, ut hic ratiocinator proferat, de quibus Canonibus locutus sit Zozimus, & de quibus fatus sit Ivo Carnotensis? Ille enim de Canonibus disserit, qui nullam necessitatem pati possunt, ut destruantur, adeoque juste impediunt potestatem Pontificiam in ædificationem datam, ne illos immutet, vel evertat. Hic est sensus Zozimi PP. Alter vero, nempe Ivo Carnotensis, si modo inter vivos ageret, o quot Canones a suo tempore diversos, vel immutatos in sua Regione conspiceret! Obtrectatores itaque Pontificiæ potestatis compello, ut tandem enumerent, & retegant illos Canones sibi Papæ auctoritatem subjicientes; Quia facile deprehendent, non ad subjectionem referri, sci-

(1) Ep. cit.

scilicet quod nequeat Papa Canones convellere, sed ad justitiam, cæterasque virtutes, quæ impediunt, a sancitis discedere.

Egregie dicta confirmat Gratianus occurrens objectioni sibi propositæ: (1) *Sacrosancta*, inquit, *Romana Ecclesia jus, & auctoritatem Canonibus impertitur, sed non eis alligatur. Habet enim jus condendi Canones, utpote, quæ caput est, & cardo omnium Ecclesiarum, a cujus regula nemini dissentire licet. Ita ergo Canonibus auctoritatem præstat, ut se ipsam non subjiciat eis. Sed sicut Christus, qui legem dedit, ipsam legem carnaliter implevit, octava die circumcisus... postea vero, ut se Dominum legis ostenderet, contra legis literam, leprosum tangendo mundavit... Sic & & summæ sedis Pontifices Canonibus, sive a se, sive ab aliis sua auctoritate conditis reverentiam exhibent, & eis se humiliando ipsos custodiunt, ut aliis observandos exhibeant. Nonnunquam vero, seu jubendo, seu definiendo, seu aliter agendo, se decretorum Dominos, & conditores ostendunt... Quamquam si decretorum intentionem diligenter advertamus, nequaquam contra Sanctorum Canonum auctoritatem aliquid concedere invenietur.... Sacri siquidem Canones ita aliquid constituunt, ut interpretationis auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reservent. Ipsi namque*

(1) ad c. Ideo 25. q. 1.

que soli Canones valent interpretari, qui jus condendi eos habent. Unde in nonnullis Capitulis Conciliorum, cum aliquod observandum decernitur, statim subinfertur: Nisi auctoritas Romanæ Ecclesiæ aliter imperaverit; vel salvo tamen in omnibus jure Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

§. XVI.

Ad nonnulla exempla Responsio.

ETsi futilia, & millies elisa exempla ab hostibus Pontificiæ auctoritatis efferantur, attamen præterire ea piget. Recolunt Honorium I. in sexta Synodo damnatum, & diris devotum. Recensent Joannem XII. a Synodo Romana plurimis criminibus convictum a sede dejectum. Memorant Gregorium VI. pari eventu Pontificatu exutum. Quæ omnia, superiora esse Concilia Pontificia potestate, ut ipsi ajunt, ostendunt.

Quod spectat ad sententiam sextæ Synodi in Honorium latam, præstat audire Hadrianum II. in Synodo Romana, in causa Photii ita præloquentem: *Romanum Pontificem de omnium Ecclesiarum Præsulibus judicasse, legimus, de eo vero quenquam judicasse non legimus. Licet enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum*

ctum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus, propter quam solum licitum est minoribus majorum suorum motibus resistere, vel pravos suos sensus libere respuere: Quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cæterorum Antistitum cuipiam de eo quamlibet sat fuerit proferre sententiam, nisi ejusdem primæ Sedis Pontificis consensus præcessisset. Quod quidem & ipsa Concilia, Pisanum, Constantiense, & Basileense prorsus callere, visa sunt, quum de depositione Gregorii, Benedicti, Joannis, & Eugenii agere aggressa, cumulare non desierunt adversus illos, reatum hæresis, & pertinaciæ in schismate, ne irritus, & inanis ex defectu jurisdictionis caderet per sese sententiæ vigor.

Ad judicium latum adversus Joannem XII. nunc vergit responsio. Othone Imperatore agente, nec non ob Romanorum postulationem, congregata est Romæ Synodus ex nonnullis Italis Episcopis, quibus pauci Episcopi Germani se adjunxerunt. His præsedit ipse Otho Imperator, dictaque sententia est in Joannem exauctorationis, & depositionis: Qua per Othonem rogata, protinus alius in Pontificem electus fuit; Leo XIII. dictus. Post duos menses pulsus est Roma Leo; coacta est alia Synodus ab Joanne, in qua intrusus Leo damnatus fuit, una cum Concilio, quod ei

X fa-

ſavit, ut culmen Apoſtolicum invaderet. Quidquid deinde præpoſtere proceſſit; nempe quod, defuncto Joanne, electus fuerit in Pontificem Benedictus V. & eodem Othone hoſtiliter agente, in exilium pulſus fuerit, & Leo reſtitutus, iniquitati temporum, armorumque furori, neutiquam juſtitiæ merito tribuendum venit. Sed quid hæc ſapiant ad intentum, ignoro; niſi velint Adverſarii Pontificem Maximum ſubjicere adhuc Concilio cuilibet, etſi nullatenus Oecumenico, quod de quolibet Epiſcopo forte non ſunt dicturi. *Nam cum celebri præcepto Apoſtolus clamet accuſationem vel in Presbyterum recipi non debere, quid in Principatum generalis Eccleſiæ criminationibus licere, cenſendum eſt?* (1) Scripſit Avitus Viennenſis Epiſcopus nomine Gallicanorum Epiſcoporum ad Senatores Urbis Romæ. Idem urgetur magis ex Can. 21. Synod. VIII. Oecumenicæ in hæc verba definientis. *Siquis aliqua ſæculi poteſtate fruens, vel potens, pellere tentaverit præfatum Apoſtolicæ Cathedræ Papam, aut aliorum Patriarcharum quemquam, anathema ſit. Porro ſi Synodus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit etiam de Sancta Romanorum Eccleſia quævis ambiguitas, & controverſia; oportet venerabiliter, & cum convenienti reverentia, de propoſita quæſtione ſciſcitari, &*

(1) Epiſt. cit. ſuper.

& solutionem accipere, aut proficere: non tamen audacter sententiam dicere contra summos senioris Romæ Pontifices. Proficere quidem monendo, corrigendo citra judicium, citra sententiam; ut infra §.19. Postremum exemplum, perinde ac priora, inepte procedit. Gregorius VI. sedit una cum Benedicto IX. & Silvestro III. & ut videtur Baronio, Leonem Ostiensem secuto, etiam cum quodam Joanne quadriforme monstrum complente. An rite, recteque fuerit electus Pontifex Gregorius, vivente adhuc Benedicto pro legitimo Pontifice accepto, digladiantur inter se eruditi æque ac historici. Quamobrem in Synodo Sutrina prope Romam coacta, erroneorum Pontificum causa ventilata fuit, consiliumque ipse Gregorius accepit Papatui cedendi, ut scriptum reliquit (1) Victor III. narrans: Benedictum Pontificatum Gregorio reliquisse, ipsumque Gregorium, audita Sutrinensi discussione, agnovisse, *se non posse juste honorem tanti Sacerdotii administrare, ac proinde semetipsum Pontificalibus indumentis exuisse*. Implexa historia est. Utut sit, Provisum fuit scandalo, & schismati, non minus ac in Concilio Constantien. Si Gregorius VI. Pseudo-Pontifex fuit, juste a Synodo pulsus extitit. Si legitime Thiara potitus erat, justissime eam sponte deposuit in illa Synodo, cui per sese præside-

 bat.

(1) l. 3 dialog.

bat. Igitur nihil ad rem valet exemplum. Quæstio namque præsens est de Synodo sibi subjiciente legitimum Pontificem, neutiquam de Pontifice se sponte Synodo subdente, & se Pontificatu abdicante.

§. XVIII.

Potissimum fundamentum Adversariorum sententiæ convellitur.

Constitutam a Christo Domino Ecclesiam suam nobiscum Adversarii profitentur, nobisque consentiunt Petro datam fuisse plenitudinem potestatis, jurisdictionisque supra totam, qua late patet ejusdem conditoris Christi Ecclesiam, in qua & oves, & agni, & pastores, & greges comprehensi intelliguntur. Verum cardo difficultatis est, an Petro immediate, ac in propria persona onus regiminis, ac honor potestatis delegatus fuerit; vel tantum Petro, personam Ecclesiæ repræsentanti, commissio facta intelligatur, itaut vel ipse Petrus vices Ecclesiæ gerens, curam collatam administraverit, tanquam caput ministeriale Ecclesiæ; vel eam in Christum largitorem duntaxat referat acceptam, tanquam caput supremum, independenter in sui exordio constitutum, & tanquam Pastor universalis omnium Christi ovium.

Asserunt proinde Adversarii, Petrum quidem

dem institutum fuisse caput, & Pastorem Ecclesiæ: sed quia personam Ecclesiæ agebat, tota potestatis plenitudo ab Ecclesia in successores Petri derivat, tanquam ministros Ecclesiæ in exercitio auctoritatis, & jurisdictionis, quin prærogativam capitis, & Pastoris deperdant; quod perinde est, ac dici caput ministeriale Ecclesiæ, & membrum principale totius mystici corporis. Porro quum tota Ecclesia sit major qualibet parte; quumque totum, a quo omnis fluit potestas, sit excellentius, superiusque parte qualibet ministeriali, absque dubio colligi debet, Papam esse Ecclesia inferiorem. Cur ergo id denegabitur Concilio Oecumenico? Nonne Concilium est ipsa Ecclesia congregata, cui semper adest, & Spiritus Sancti afflatus, & ipsius Christi præsentia, juxta firmissimam pollicitationem: *Ubi erunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum?*

Traditio his dictis favet, quum pleraque Sanctorum testimonia præsto sint, quibus traditas claves Ecclesiæ immediate affirmant. Divinæ providentiæ convenientior modus instituendi Ecclesiam acceptus tribuitur, quum multitudini potius, quam uni judicium de summa rerum, cujusmodi est fides, & indefectibile Regimen, committitur. Perniciosa quæque diligentius, certiusque per sapientum consilia, vel decreta, aut præoccupantur, aut avertuntur, quam per unius

arbitrium infinitis infirmitatibus continuo lacessitum. Quid? Quod hæc dicere necesse sit, quum defluente vita hominis Pontificis,; in Ecclesia adhuc claves potestatis maneresa teamur; in sinu nempe illius matris, a qua profluunt, & ad quam redeunt iterum prodituræ. Hucusque Adversarii.

Removeamus ambigua, & argumentum ex se corruet. Admittere non dubito, Petrum duplicem personam gessisse, quum Claves potestatis, & jurisdictionis sibi collatas a Christo acceperit. Unam, qua electus fuit in Pontificem, designatusque legitur Pastor omnium ovium, & agnorum; eaque designatione constituta fuit Ecclesia visibilis, unum ovile sub uno Pastore, unusque Pastor visibilis superior toto ovili, quemadmodum ipse visibilis Pastor, sub immortali, atque invisibili Pastore, ac Domino Christo institutus, vicesque ejusdem gerere intelligitur. Alteram personam repræsentavit Petrus, quum Ecclesiæ figuram præseferens, accepit jus, potestatem, æque ac jurisdictionem transferendi in successores eligendos, in beneficium totius Ecclesiæ. Permittere quoque non detrecto, vicissim Petri Successores ab Ecclesia designatos, nedum ab alto suscipere auctoritatem super totam Ecclesiam, sed etiam per ipsam Ecclesiam jurisdictionem, ut eidem in spiritualibus provideat. Admitto pariter claves

po-

potestatis, & jurisdictionis manere in Ecclesia, vacante Sede, sopitas tamen, & vacuas exercitio, quoad plenitudinem propriam universalis regiminis super totam Ecclesiam; reversuras tamen in Papam, statim ac rite, & Canonice electus fuerit.

His admissis, nequaquam impugnari potest, Petrum in propria persona, ejusque successores accepisse, & accipere a Christo onus, & honorem dignitatis, & potestatis supra totam Ecclesiam. Absque dubio namque esse debet, Pastorem supremum Vicarium ipsius Auctoris Jesu Christi, toto ovili superiorem esse debere; nisi quis velit hierarchicum ordinem invertere, atque pervertere.

Porro quemadmodum ut Pastor toto ovili superior necessario colendus est, ita etiam, ut caput Morale totius corporis Ecclesiæ, eadem gaudere debet præcellentia, & superioritate. Etenim etsi Ecclesia percipiatur transfundere in electum Pontificem depositas sibi claves a Christo in persona Petri, nullatenus tamen eas administrat, ut caput ministeriale Ecclesiæ, membrumque hujus corporis, sed ut Pastor institutus in Petro a Christo, & ut Vicarius Jesu Christi; ne cogamur Papam compellare verius Vicarium Ecclesiæ, quam Christi, quod nullus somniavit Catholicus.

Discursus nitide fluit. Super te Petram

ædificabo Ecclesiam meam, inquit Christus. Igitur super te in propria persona: Alias si lusorius fuisset sermo, si Petrus personam Ecclesiæ utique gessisset, & sensus fieret: Super te Ecclesia ædificaturus sum Ecclesiam. Itidem Christum dicere: *Pasce oves meas*, idem fuisset ac dicere: oves pascite vos: Quum mandavit: *& tu conversus confirma fratres tuos*; idem hoc esset ac pronuntiare: Et tu Ecclesia confirma te ipsam. Si igitur in his, & similibus Christi locutionibus primo intelligi, necesse est, designari Petrum in propria persona, cur quum traditas claves Petro legimus, personam Ecclesiæ primo fingere, erit opus?

Ex his cohærent omnia: & Patrum in utroque dicto traditio perpetua: & optimus providentiæ scopus, ut Hierarchia Ecclesiastica ad unitatem sit relata in terris, quemadmodum in cœli miro ordine ab uno effluit: & dissidiorum occasionis fit exclusio, quæ in multitudine hominum persæpe æstuat: Ipse tandem unus Pastor, ac summus Pontifex Christi indefectibili pollicitatione fretus, falli, & fallere nescius, ex Cathedra docens perpetuo, & fidei, & Ecclesiæ securus adest. Quod si adverso Numine contingeret, fieri Papam a fide devium, vel schismatis pertinacissimum fomitem, jam divina opitulante providentia prospectum est, ut Ecclesiæ judicio subjicia-

tur,

tur, in cæteris ineffabili æterni Judicis decreto reservatus. En in tuto sunt omnia.

Audiant hostes nostri, & iterum audiant egregium oratorem Gallum compendio rei, & rationis, prædicta quælibet confirmantem; nempe Episcopum Meldensem in publico Consistorio, sedente adhuc Concilio Florentino post sess. 29. nomine Christianissimi Caroli VII. ingenue perorantem, atque contra nefarios conatus Conventus Basileensis diserte dicentem:(1) *Nimio fervore resistendi ad hanc vesaniam Basileenses devenerunt, quod supremam potestatem in uno supposito consistere negant, sed eam in multitudine, quæ cito in diversa scinditur, collocant; & sic pulcherrimam Ecclesiæ Monarchiam, quæ Christianos huc usque tenuit in unitate fidei, in uno ritu Sacramentorum, in una observantia mandatorum, in iisdem cæremoniis divini cultus, atque pacem, & tranquillitatem asseruit, nunc abolere contendunt, nobilissimam politiam ad democratiam, vel Aristocratiam redigere molientes.*

Hæc fuit Basileensium vesania, subjicere Papam Concilio despotice, sive fidei, aut schismatis reus deprehendatur, sive insons extiterit: Illumque decretis ligare, ne potestatem suam exerat, subiturum tamen periculum incidendi in correctionem Concilii.

(1) *R*aynald. ad an. 1441.

lii. Eandem ideam proferunt, qui decreta Constantiensia extollunt, quique etiam extra casum violatæ fidei, & inducti schismatis, vel producti, ea interpretantur. Hoc prorsus est momentum controversiæ motæ ab illis quibus cum pugnamus. Implicat igitur, consistere decreta Constantiensia sess. iv. & v. in sensu Basileensium, & non incidere in Vesaniam, quam Gallicanus Orator publice execratus est.

Ad objecta, quibus immoderata ingenia Pontificiam superiorem Concilio auctoritatem carpunt; esse scilicet Papam Ministrum Ecclesiæ, membrum, & partem Ecclesiæ, in Ecclesia, & ab Ecclesia vel electum, vel probatum, sumentem ab Ecclesia depositam plenitudinem potestatis: & his similia. Respondeo; si quid hæc valerent, æque probarent, Monarchicum, & independens dici non posse V. G. Gallicum Regnum, quia dejecto Chilperico, & evecto in Thronum Pipino, omnia prædicta impleta sunt, quæ per adversarios subjiciunt potestatem subditis. Quæ si negabunt, ut proclive est credere, perperam urgebunt contra Papam; eo fortius, quia hic est immediatus Christi Vicarius, cui tradidit Jesus Christus ex deposito (ut ita dicam) Ecclesiæ, plenitudinem potestatis, quam quum exerceat in beneficium Ecclesiæ, nihil repugnat adhuc, Ministrum Ecclesiæ Papam dicere. Sed quorsum

ſum hæc ad ſubjiciendum Papam Eccleſiæ, vel Concilio?

Diſcutere non abs re eſt, allatas arguendi formulas. Deducunt enim, vel ad ludicra, vel ad hæreticalia figmenta. Quoniam ſi Papam, ut partem Eccleſiæ, ſubdi neceſſe foret Eccleſiæ; Cur quoque, & ipſum Concilium non ſubdetur Eccleſiæ, quum & ipſum ſit pars Eccleſiæ? Nonne in Eccleſia ſit? Nonne ab Eccleſia auctoritatem accipit? Nonne Eccleſia numeroſius, & plenarius Concilium quolibet priori celebrato hucuſque cogere poteſt? Ergo ſi quid valet inepta argutatio, evincet, quodlibet Concilium, quantumlibet generale, vel alteri poſteriori, & pleniori Concilio ſubeſſe, vel ipſi Eccleſiæ, cujus pars, & membrum exiſtit. Rurſus, ſi poteſtas data eſt Eccleſiæ, ut Papæ communicaretur cum ſubjectione ad Concilium, cur per ſe ipſam illam eandem non valebit exercere, & ſupra Papam, & ſupra Concilium? Quumque Eccleſia conflata ſit ex hominibus utriuſque ſexus, tum ex Eccleſiaſticis, & laicis, ex ovibus, & Paſtoribus, quis juſte omnibus denegabit jus hanc poteſtatem exerendi? His arguendi formulis ludunt, & fallunt hæretici; iiſdemque Novatores utuntur ad fingendam Eccleſiam, & Hierarchiam, ab illis, quæ modo ſunt auctore Chriſto, diverſas.

§. XVIII.

§. XVIII.

Consectaria compendiarie deducta ex dictis in utraque dissertatione promuntur in medium.

PEtrum institutum fuisse a Christo fundamentum Ecclesiæ, nemo inficias ibit, quum id Evangelica veritas lucidissime omnes doceat. Deinde quum omnium cura eidem Petro commissa fuerit, unum designatum est ovile, nimirum universa Ecclesia, cui unus supremus Pastor congrue debebatur. Quia vero unitas Pastoris magis intime ad unitatem capitis comparatur, quum(1)ex Apostolo EcclesiaCorpus nuncupetur, proinde eodem Jure a Patribus, & Conciliis non tantum Pastor, sed etiam caput visibile Ecclesiæ, sub capite invisibili Christo, publice conclamatur. Porro Pastori accedet totum ovile regendi ministerium, quod idem est, ac dici, & esse universalis Ecclesiæ Rectorem, quemadmodum conceptis verbis professi sunt Patres Constantienses sess. 40. & alibi. Hæc regiminis ratio tota petenda venit a Pontificio Petro tradito illis verbis: *Quæcunque solveris in terris, erunt soluta & in Cælis, & quæcunque in terris ligaveris, erunt ligata, & in*

(1) Ad Coloss. 1.

in Cœlis. Clavium nomine poteſtas omnis comprehenditur; non erga unum Cælum tantum, ſed ad omnes Cælos, ultra terram extenſa, ut indicium ſit, omnia impedimenta tollere poſſe, quominus aperiantur, vel actutum claudantur. Duplex namque obſtare poteſt impedimentum. Unum ex parte intellectus, quod eſt ignorantia; Alterum ex parte affectus, quod eſt peccatum. Illud tollit Petrus Magiſterio, & doctrina: Iſtud evacuat abſolutione, & remiſſionis diſpenſatione. Quibus bene circumſpectis, liceat mihi de Vicario Chriſti, ſalva debita proportione, verba Apoſtoli retexere: (1) *Ut ſit in omnibus ipſe Primatum tenens, quia in ipſo complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum*. Utique plenitudinem dicimus poteſtatis, & juriſdictionis, quæ major in terris ſit, vi cujus reconcilientur omnes in Chriſtum harum clavium datorem.

Itaque ſi Petrus, ejuſque ſucceſſores Romani Pontifices, eodem jure, quo eſt Paſtor, & Rector Univerſalis Eccleſiæ, eſt quoque ſupremus Doctor, & Magiſter ejuſdem: (2) *An volumus* (cum Cano percunctabor) *ut his diebus non ſit Judex in Iſrael, ſed unuſquiſque, quod ſibi videtur bonum, id & faciat, & ſentiat? Volumus*, in-

(1) Ad Coloſ. 1.
(2) De loc. Theol. l. 6. c. 3.

inquiunt Evangelii libertatem. Anne est libertas Civitati, nullum habere, a quo regatur? est libertas Navi, sine gubernatore undis, ventoque permitti? Libertas ergo erit, ut quidam ait, nullum esse in schola præceptorem, nullum in humano corpore caput, nullam mentem in homine, sed solis cupiditatibus turbari, ac misceri omnia pro libidine? Id vere ne pecudes quidem cuperent, quarum interest Pastores habere, a quibus deducantur in pascua, atque in eis defendantur ab injuria ferarum. Non itaque, ut ad propositum revertamur, domus una sine Patrefamilias, una Civitas sine Rectore, ovile unum sine Pastore, uno mortuo Petro relictum est, sed est aliquis, qui illi in regendi, ac pascendi oves auctoritate succedat.

Hæc porro præclara dignitas, atque suprema prærogativa auctoritatis plane exigit, ut omnes sibi subjiciat, omnibus emineat, & præsit, neminique subsit. (1) *Quinimo qui a Romana quidem sede defecerunt, hi schismatici semper in Ecclesia sunt habiti, qui vero hujus sedis de fide judicia detractaverunt, hæretici. Quæ profecto omnia satis ostendunt, non humano, sed divino decreto Ecclesiam Romanam, & cæteris esse præpositam, & Petri privilegia jure sibi suo vendicasse ... Adde quod Apostolicarum tradi-*

(1) Idem Cano loc. cit. c. 7.

ditionum sinceritas non posset ad nos usque servari, alias Ecclesias, haereticis Episcopis toties occupantibus, nisi una sedes Apostolica, inter tot orbis tumultus, fixa, intemerataque consisteret. Ad hac, cum Concilia, & Provincialia, & Generalia, sine Romani Pontificis auctoritate nonnunquam erraverint, nunquam autem, si Romani Pontificis auctoritate firmata sunt, satis persuasum esse debet, Conciliorum, atque adeo totius Ecclesiae firmitatem a Romano Pontifice derivari.. Praeterea si inter Patres Concilii est controversia, vel de intellectu sacrarum literarum, vel de uno quolibet libro, an Canonicus sit, nec ne, vel de alia hujus generis quaestione, ad hanc litem componendam, Judicem ponere necesse est; cujus tamen, si errare possit, incertum judicium erit. Judex autem inter Patres Concilii dissidentes nullus in Ecclesia, nisi Romanus Episcopus est agnitus.

Ex his productis principiis tum ex Evangelicis dictis, tum ex Romanorum Pontificum, Conciliorum, Patrumque Ecclesiae sententiis, facile est deducere, in errorem labi oppositam de fallibilitate Pontificis Romani opinionem. *Quod si in hoc erro* (Cani utar verbis) (1) *quod Romanae Sedis privilegia a Christo illi concessa, & tueor, & contradicentes haereseos nomine condemnan-*

(1) loc. cit.

nandos esse credo, non solum tuto, sed libenter erro: Nec mihi errorem utilem, quo etiam delector, sine rationis præsertim vi extorqueri volo. Nam me non solum ratio, ac disputatio impulit, ut ita crederem, sed nobilitas etiam summorum Theologorum, & auctoritas. Hieronymus profanum esse, & perjurum dicit, qui Cathedræ Petri, & Romanæ Sedis fidem non fuerit secutus. Cyprianus alienum, ait, esse, prophanum esse, hostem esse, qui universalis Ecclesiæ non tenet unitatem, hoc est, lumen unum, unde multi radii: radicem unam, unde multi rami: fontem unum, unde multi rivi; petram unam, supra quam Ecclesia ædificata est: Unum Pontificem, qui cæteros omnes sua vi, & auctoritate contineat: A quo si radium tollas, extinguatur; si frangas ramum, intereat; si præscindas rivum, arescat. sic enim ille declarat. At qui in fidei controversia Apostolicæ Sedis fidem, judiciumque detrectat, is nec unitatem tenere potest, nec lumen, nec radicem, nec fontem. Atque Cyprianus idem: Qui Cathedram, inquit, Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat. Ambrosius pro eodem penitus habet, catholicum esse, & cum Romana Ecclesia convenire. Gregorius sic Sedis Romanæ auctoritatem in Religionis, fideique causa existimat esse amplectendam, ut qui noluerint,

ab

ab ejus petræ, supra quam Christus universalem fundavit Ecclesiam, soliditate, convellantur. Leo exortem divini mysterii eum esse affirmat, qui ausus fuerit a Petri soliditate recedere, & impiam præsumptionem, quæ petræ istius firmitatem, Deo ædificante constructam, nititur violare. Nicolaus finit, quod qui Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite Christo traditum auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur. Nam fidem, inquit, violat, qui adversus illam agit, quæ est mater fidei; Hanc vero Nicolai sententiam noli, quæso, lector contemnere; quæ scilicet actione 1. & 7. Synodi octavæ confirmata est.. At enim doctrina sana oves pascere, fratres in fide confirmare, universas gentes per os illius audire verbum Evangelii, & credere, supra illum ædificare Ecclesiam, ut portæ inferi non prævalerent adversus eam, non Petro, ut privato homini, sed ut Reipublicæ Christianæ præfecto congruebant. Quocirca ambigi inter catholicos nec debet, nec vero potest, quin Romanæ Sedis de fide, & Religione judicia certa sint.

Nunquam pigebit, verba summi Theologi Cano pro epilogo prioris Consectarii adhibuisse, quia neque strictius, neque nervosius ad rem dici potest: Neque quoque verius. Etenim, historia duce, comprobamus, dixisse Victorem 1. non esse Judæo-

rum tempore celebrandum Pascha; certumque judicium fuit, & refragantes errantibus sunt adnumerati. Dixit Stephanus I. non esse iterandum baptisma iis, qui ab hæreticis baptizati fuere, ejusque sententia, ut fidei regula habita est; reluctantes in hæresim prolapsi sunt. Damnavit Clemens XI. Quesnelliana dicteria, & impugnantes cum Novatoribus adscripti recensentur, Constitutione *Unigenitus*, ut regula fidei agnita.

Bene sit, ajunt Adversarii, sed accedente Ecclesiæ consensu, quo Pontificia judicia in dogma fidei transeunt. Sed, proh Deus immortalis! Quis ex Evangelio, ex Conciliis, aut Patribus hanc unquam valuit conditionem educere? Ipsa partium dissensio satis ostendit, quo fragili, ac caduco hæc opinio innixa sit fundamento. Alii universalis Ecclesiæ consensum exposcunt, constituendo infallibilitatem dogmatis adeo pendulam, ut ad Calendas Græcas vix suam sortiatur fidem apud fidelium mentes. Alii Provincialium, vel Nationalium Episcoporum assensum postulant, ut sibi unice adscribant indefectibilis fidei meritum, & donum. An autem Episcopi alicujus Provinciæ, vel Nationis possint dare infallibilitatem, quam non habent, extranea omnino apud illos quæstio est, nec digna inquisitione. Alii recentissime effutiunt, necessarium esse ad infallibilitatem dogmatis as-

assensum illius Ecclesiæ, ubi exorta est hæresis, perinde ac si ex merito parti hæreseos monstri, privilegio donata sit, fidem statuendi in terris. Quod si hæc particularis Ecclesia silebit, actum est de definitione, & dogmate. Prætereo alios ad hanc vesaniam perductos, ut neque consensu utcumque, sint contenti, sed prorsus exigant a quolibet orbis Episcopo judicialem sententiam, post exactam maturam discussionem Apostolici decreti, ad comprobandum post Papam, Episcopum judicasse. Itaque & Episcopus Smyrnæ, & Episcopus Pechini apud Sinas, plurimique alii per infidelium partes dispersi, hanc provinciam assumere coguntur, ne dogma fidei pendulum hæreat in corde fidelium: Vel tot Episcopi per orbem dispersi hoc infortunium pati cogentur, non habendi partem in Ecclesia per suum consensum. Alii tandem nuperrime excogitarunt dogmatis infallibilitatem in Apostolico judicio petere ab consensus accessu amplissimi Collegii Cardinalium Romæ sedentium, loco Cleri Romani, ac si, ut lepide quis opinari possit, quod amplissimi Cardinales sibi in electione Papæ reservent infallibilitatis privilegium, collaturi deinceps suo loco, & tempore, accedendo Pontificiæ definitioni.

Itaque quot capita, tot sententiæ; & quo magis excurrit opinandi libido, eo lon-

 gius

gius a veritate abſcedit. Agitur de dogmate fidei, vel ut quiſque in fide integre quieſcat, vel ut ab errore concepto diſcedat, vel ut hæreſim ingruentem caveat, atque perinde exhorreſcat; & interim Næniæ finguntur, inanibus verbis fideles decipiuntur, Fidei, ac Eccleſiæ illuditur, & duntaxat errori, atque hæreſi laxantur habenæ: Ubi e contra ſemel prolata Romani Pontificis ex Cathedra ſententia, inſtructi fideles, debere per os Petri audire verbum fidei, & credere, actutum intellectum captivantes in obſequium fidei in una fide conveniunt, & in eadem permanent regula. Quæ ſi, ſepoſitis partium ſtudiis, ac dimiſſa effræni libertate opinandi, ſancte, & recte librentur, ad meliora deducentur Populorum conſilia. Et hæc ſatis de primo conſectario.

§. XIX.

Alterum Conſectarium affertur,

Eodem prorſus jure, quo ſtat ſententia de infallibilitate Romani Pontificis, ſtatuta quoque manet altera de ejuſdem ſuperlativa auctoritate ſupra Concilium. Siquidem, quemadmodum eſt unum ovile, & unus Paſtor, perinde eſt una Eccleſia, & unum caput viſibile, ſub inviſibili capite Chriſto. Sicut igitur ſalva unita-

te

te ovilis, nunqum ſive agnos, ſive oves colligere eſt in aliqua caula, quæ minime ſubſint eidem Paſtori, ne multiplicetur aut ovile, aut Paſtor: ita ſalva unitate Eccleſiæ, non conſiſtet Eccleſia viſibilis, niſi ſub uno capite viſibili, ſcilicet Papa, maneat. Itaque, ſive ovile ſit diſperſum per paſcua, ſive congregatum in caula, ſi unitatem ſervat, ab uno, neceſſe eſt, pendere illud Paſtore. Ipſaque Eccleſia pariformiter, ſive ſit diſperſa per orbem, ſive adunata in Concilio, pro ſua indiviſa unitate cogitur ab eodem capite regi, quod dominetur. Conati ſunt hæretici hanc unitatem ovilis, & corporis myſtici diſſolvere; propterea ab initio, impellente diſſidiorum auctore, rebellarunt, ut vidimus, a Pontifice Romano hæretici Ariani, & Pelagiani, vel dicendo ſententiam adverſus Papam, vel ab ejus judicio appellando ad Concilium plenarium. Verum ſunt ne facta impiorum hominum tradenda in exemplum? Licet ne Catholicis ſapere alienis ab Eccleſia experimentis?

Palam eſt, Romanum Epiſcopum alieno non ſubjici judicio, niſi ſit a fide devius, vel ſchiſmatis obduratus auctor, ex cognatione, quam inter ſe hæc ſcelera ineunt. Aliud, & aliud decretum providentiæ divinæ utrumque præordinavit. Extra hos caſus judicio duntaxat divino eſt rationem redditurus. Hinc Patres, hinc Conci-

lia, hinc proceres poterunt quidem, salva debita reverentia corripere, atque objurgare Pontificem, si scandalo sit Ecclesiæ, sed nunquam in illum judicium ferre,& ne quidem attentare. Profitentur undique Catholici omnimodam obedientiam debere Romano Pontifici, ut Christi in terris Vicario, quo major non est assignandus. Profitentur Patres, Profitentur omnes Theologi de necessitate salutis esse,subjici summo Pontifici, uti professa quoque est tota antiquitas. Qui excipit Concilia, vel illa ab Ecclesia separat, vel illa a catholico dogmate excludit. Proloquium namque hæreticorum est, immediate tantum sub Christo capite invisibili degere fideles ut corpus visibile Ecclesiæ acephalum constituendo effrænes admittant.

(1) *Præterea* (utar verbis Magistri Cano, quia urgentiora non suppetunt) *Præterea Ecclesiæ consuetudo hoc manifeste declarat. Nunquam enim admissa est appellatio in causis fidei a sede Romana, sed hæreticos ab ea judicatos, Ecclesia semper hæreticos etiam judicavit; & certe si Romanæ Sedis judicium fallax esset, Concilii vero esset verax, & certum, naturæ, rationi, veræque Theologiæ is adversaretur, qui appellationem a Pontifice ad concilium denegaret. Quo uno argumento, ostendit Gelasius, Sedem Apostolicam de tota Ecclesia judica-*

re,

(1) l. 6. de loc. Theol. c. 7.

re, ipsam vero ad nullius pertinere judicium. Jam illiusmodi appellationes, in fidei præsertim dogmate, Ecclesia nescit; nam iis hæretici solum utuntur.

Quid si admitterentur hujusmodi appellationes a Romana definitione ad futurum Concilium? Nonne suspensiva admissio licitam faceret hæresi licentiam impune grassandi per populos, & hæreticis ipsis permissum redderet impune interim vivendi ad longissimum tempus; cum satis apud omnes compertum sit, quantum difficile sit congregare Concilium Generale, & sæpe etiam impossibile ex frequenti temporum perturbatione? Quamobrem eritne credibile, quod Ecclesia hac infelici conditione, adeo aliena a Christi providentia, fuerit constituta, ut ab improbis fidei hostibus quati possit, defendi a probis non possit, labefactari cogatur, propulsare injurias expedite prohibeatur, donec Concilium convocet? Repugnat ratio, obsistit sensus, exhorrescit imaginatio, experientia interpositæ in hoc sæculo appellationis a Constitutione *Unigenitus* nos plene, ac luctuose docuit, & adhuc docet; imo seram posteritatem docebit, quam flagitiosum sit, in re tam gravi, contra Canones, & adversus veritatem provocare. Quod si vidisset nuperrimus scriptor, hoc remedium exitiale, neutiquam remedium necessarium dixisset.

Heu tamen! Incassum hæc ob oculos objiciuntur: obfirmatus animus non flectitur. Agitur de Fide: ad superioritatem Concilii divertitur. Propulsantur hæretici: opinio de auctoritate Papæ pugnam præoccupat. Instruuntur subditi Pastorali doctrina: obtruditur disceptatio adversus Pontificiam auctoritatem. Disputatur in Scholis, propugnantur theses; In primis agitur de labefactandis Sedis Romanæ privilegiis. Ex Cathedra instituuntur discipuli; Sed inter prima rudimenta apprime imbuuntur, ut ipsi nec fallere, neque falli possint; Romanus vero Pontifex utrumque patiatur, etsi ex Cathedra definiat. Itaque si eduntur a Romana Sede Constitutiones dogmaticæ, ad Concilium provocatur, & de potestate transigere est totus conatus. Obedientia Papæ debita prædicatur, & pugna plusquam Vatiniana committitur. Deus meliora!

Ferrandus Carthaginensis Diaconus, sæculo sexto ad Severum Scholasticum scribens, in hæc verba fatus est: *Interroga, vir prudentissime, si quid veritatis cupis audire, principaliter Apostolicæ Sedis Antistitem, cujus sana doctrina constat judicio veritatis, & fulcitur munimine auctoritatis.*

Sanctus Gregorius M. (1) ad Episcopos Galliarum scribens, commonuit, quid facto opus erat in emergentibus disceptationibus,

(1) L. 4. Epist. 52.

bus, quæ graviori indigerent examine. *Siquam vero contentionem*, inquit, *quam longe faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat: examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari*. Ecquid magis rationi, imo juri universali nedum consonum, sed etiam debitum censeri potest, quam integrum relinquere Sanctæ Sedi de potestate sua examen, & judicium? Audebit ne quisquam, citra injuriam sui Principis de ejus auctoritate quid imminutum, quid indecorum proferre? Et audebunt subditi Ecclesiastici, proceres Hierarchici, Universitates beneficiis Pontificiis institutæ, & privilegiis amplificatæ, Filii prædilecti, invito Romano Pontifice, & contradicente, peremptorie dicere de ejus potestate; nunc auctoritatem decurtando, nunc jurisdictionem intercidendo, nunc errorem imponendo, susdeque Pontificium circumsecando, quin doloris sensu affectus injustitiam repulset, arrogantiam retundat, & sua vindicet jura?

Exarsit Bonifatius VIII. fulmina intorsit Alexander VII. Pluribus indignationibus conquestus est Innocentius XI.contra editas

Cle-

Cleri declarationes. Irritas, cassas, & inanes declaravit fore, & esse Alexander VIII. Purgationis speciem exegit Innocentius XII. Neque ipse Rex Christianissimus Ludovicus XIV. detrectavit in Religionis suæ specimen, literas ad eundem Pontificem dare, quibus testatam voluit erga Apostolicam Sedem sui animi venerationem, & erga illius supremam auctoritatem, intimam sui cordis demissionem: Factoque spopondit se laturum protinus remedium, ut decreta infecta jacerent, liberumque omnibus foret dicere, oppositas declarationi theses docere possent, atque defendere, nec non Pontificium, qua late patet, tueri, vindicare, & prædicare. Quo fato hæc spes evanuerit, & pejora prioribus sint subsecuta, videant mente, & consilio præditi, atque dijudicent an recte cohæreant. Nobis interim alte insitum sit illud Nicolai I. ad Carolum Calvum scribentis:(1) *Privilegia Romanæ Ecclesiæ, totius sunt Christi, ut ita dicamus, remedia Ecclesiæ Catholicæ.*

Ad rem appellationis, unde divertimus, revertamur. Etiam de rebus ad disciplinam spectantibus provocare a Romano Episcopo ad Concilium, fuit opus Donatistarum, malæ sobolis fructus. Antiqui Galliarum Episcopi hanc audaciam improbarunt, imo Ivo Carnotensis eam execrari non omisit, con-

su-

(1) Ep. 30.

ſulens veram procedendi rationem, nempe ad eundem Pontificem confugere, ut iterum cauſa repetitis curis exagitetur. Verum ſurdis canitur. Ad futurum Concilium appellandum eſt, queruli hoſtes vociferant. Sit incertus hic Judex futurus, ſit nunquam futurus, ſit neque poſſibilis, nihil intereſt, inquiunt, eſt appellandum. Jaceat deinde appellatio, tantum abeſt, ut convocatio Concilii urgeatur, quin potius parati ſunt omnia conſectari impedimenta, ne cogatur. Ubi nam hæc jura leguntur ad illudendum, & colludendum ſelecta? Nonne admiſſis his tergiverſationibus, adhuc ſuo pondere, atque auctoritate dejiciuntur Conciliorum Generalium ſententiæ, & decreta? Ita plane. Eutyches in Concilio Conſtantinopolitano damnatus, aliud Concilium petiit convocari; Interim in perniciem Eccleſiæ, curabat, ut pendula remaneret Concilii ſententia. Taddæus Friderici II. Imperatoris orator damnatus a Concilio Lugdunenſi I. ad aliud plenius Concilium auſus eſt provocare. (1) Refert Cardinalis Pallavicinus, ipſos Gallos, qui enixe poſtularunt cogi Concilium Tridentinum, ut & fidei, & diſciplinæ Canones ſancirentur, acceptis dogmatibus, cætera rejeciſſe. Quæ omnia argumento ſunt, provocari ad contu-

(1) Hiſt. Concil. l. 3. c. 5. & 7. & l. 24. c. 10. & 11.

tumaciam eludendam; postulari alium Judicem, ad declinandum judicium latum, & ad irridendas omnes leges flagitari Concilium. Si hac providentia excogitari possit bene instituta Ecclesia, & si hac methodo regi possit in ea, qua pollet sanctitate, videant aulici, per quos hujusmodi deliramenta a regimine politico exulant. Videant Episcopi, qui ea ipsa in sua diœcesi horrent. Videant omnes Fideles, qui a suo supremo Pastore expetunt, tuto dirigi ad Cœlum.

Provide tanto malo occurrerunt Summi Pontifices, Joannes XXII. & Callistus III. & Xistus IV. & Pius II. & Martinus V. & Julius II. datis diplomatibus, quibus hujusmodi appellantes diris devovent, & hæreticis accensent. Identidem postremo successores quotannis in Cœna Domini repetitis spiculis hoc ipsum confodiunt. Ludovicus XI. Christianissimus Galliarum Rex, audita Xisti IV. Constitutione, qua appellationes ad futurum Concilium execrabatur, & appellantes, ut hæreticos percellebat, voluit, jussitque Pontificium diploma solenniter denunciari, ut refert Odoricus Raynaldus. (1) Appellavit ad futurum Concilium Dietherus Archiepiscopus Moguntinus, eumque pudore suffudit Rodulphus Pontificius Nuntius, in hæc verba alloquens.

(1)

(1) Ad an. 1483. n 22.

(1) *Oro, a quo Judice provocasti? Ab eo certe, qui non habet in Terra superiorem; Nam quis major Papa in terris? Quæ celsior auctoritas? Quæ sublimior dignitas? Quæ potestas altior, quam Jesu Christi Vicariatus? Ab eo appellasti, Diethere, qui tamen ægre ferres, siquis Provincialium tuorum a te ipso appellasset. Sed quem appellasti Judicem? Quem provocasti tuæ causæ cognitorem? Futurum Concilium, dicis, appellavi. Et ubi est futurum Concilium? Ubi sedet? Ubi Tribunal ejus requirimus? Pulchra inventio, ut impunita sint scelera; ut liceat sine metu judicii aliena invadere. Is Judex appellatur, qui nunquam reperitur. In conventu Mantuano adversus hanc nequitiam lex edita est, quæ appellanti ad futurum Concilium eam irrogat pœnam, qua rei Majestatis, & fautores hæreticorum plectuntur.* Addidit Xistus IV. (2) *hujusmodi transgressores aliud caput in Ecclesia Dei, ac imaginarium majus, & sublimius tribunal confingentes contra Apostolum dicentem; Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod Christus instituit; hujus S. Sedis primatum negare, Ecclesiæ unitatem dividere, non unum solum privilegium Ecclesiæ adimere, sed præcipuam, & principalem dictæ Sedis auctoritatem, quam & vox Christi, & Majorum tra-*

(1) Raynald. ad an. 1461. n. 18.
(2) Raynald. ad an. 1483. n. 20.

traditio, & Canonum fulcit auctoritas, penitus subvertere non verentur, præ cæteris detestabiliores esse, & eorum appellationes, quacumque occasione interponerentur, non solum irritas, & inanes, sed fraudolosas, & sacrilegas, & hæreticas esse.

Audiamus iterum sapientissimum Magistrum Canum differentem in hæc verba: (1) *Sed provocaverunt Doctores Parisienses a Concilio Lateranensi* (addam, & postremo a Constitutione Unigenitus, ut non miremur, si minime parcant Pontificiæ auctoritati, qui neque Concilio obtemperare gestiunt, & quemadmodum Papam subditum volunt esse Concilio, perinde & unum Concilium alteri subesse faciunt, ut judicia, quæ displicent, prope in infinitum pendula protraherentur. Est ne sic agere opus Dei, Ecclesiæque negotium?) Ad nostra redeamus: *Provocaverunt Doctores Parisienses, inquit Cano, a Concilio Lateranensi, & appellatio nomine Academiæ circumfertur. Quorum illa fuerit, ego hic non disputo. Illud astruo, non sine Ecclesiæ scandalo, atque pernicie circumferri*; & alibi propius pericula, & foveas ostendit, dicens: (2) *Qui vero contempserunt, inaniaque, & levia, ac pro nihilo existimarunt, omnes ad unum periclitati sunt, ii, qui manifeste* ab

(1) De loc. Theol. l. 5. c. postr. ad 9.
(2) L. 12. c. 10.

ab Ecclesia discessere, & ii, qui Ecclesiæ fuere suspecti, postremo ii, qui in occulto adbuc latent, sed suo se tempore, ut cæteri, prodent. Hactenus Cano.

§. XX.

Tertium Consectarium accedit.

Sessionis IV. & V. Concilii Constantiensis decreta, quibus contenditur subactum Papam Concilio tunc coacto, & cuilibet alteri futuro, futile argumentum hostibus præbent, cui ut Achilli unice adhærescere, & incumbere se jactitant. Dilucide res explicabitur. Donec præsentia Joannis XXIII. cujus auctoritate coactum fuerat Constantiæ Concilium, perstitit honestatum, nemo molitus est quidquam adversus Pontificiam dignitatem. Ast ubi audierunt Patres clam se subripuisse Constantia Joannem, timore, & ira perciti, ne Joannes declinare ad schisma æternum prolatandum, meditaretur, actutum sub capite Christo immediate se esse professi sunt, decreveruntque, Papam subesse Concilio, tam præsenti, quam cuilibet alteri. Hæc constant ex ipsa facti specie ab historia, & actis descripta, ex quibus plura discimus: I. Patres in suspicionem venisse, ne Joannes dissolveret Concilium; idcirco conatum

præ-

præoccupare ſtuduerunt, invocato in caput Chriſto, deleto capite viſibili Joanne. II. Concilium ſtatim in decreta ſeſſ. IV. & V. deſcendiſſe, ut perterrefactum Joannem cogeret ſtare promiſſis, ſtudio delendi dirum ſchiſma, unde & precibus, & minis enixe curavit, ut Conſtantiam Joannes rediret. III. Concilium, ne ſua ſpe fruſtraretur, omnem lapidem impulit, ut Joannes ſe ſubjiceret Concilio, in his ſignanter, quæ ad ſchiſmatis extinctionem conducere poterant. IV. Concilium animadvertens, & ferro, & igne in illo extremo diſcrimine utendum eſſe, per comminatam depoſitionem, dignitati cedere Joannem coegit, qui proinde acceptando depoſitionis ſententiam in eum latam, Concilio ſe ſubjecit.

Itaque quemadmodum Joannes ſibi conſtans non fuit, perinde Concilium vacillavit, & plene de adſcita auctoritate dubitavit; dubiique gravis momenta ipſa ratio ſuppeditabat. Tum quia ipſum Joannem agnovit, ut caput, in convocatione Concilii. Quomodo igitur intra unius, vel alterius diei ſpatium mutilum, & acephalum, ſine capite viſibili poterat Concilium ſe declarare? Tum quia ipſum Concilium admodum infrequens, utpote unius tantum obedientiæ, jure in ambiguo erat, an ut Eccleſiam univerſalem repræſentans, agnoſceretur, perinde ac expertum fuerat Conci-

Ci-

cilium Pisanum. Tum quia si Concilium sua auctoritate plenaria constans sibi videbatur; Eccur sollicitare non destitit Joannem, ut sponte se subjiceret Concilio, Ecclesiæque pacem donaret per voluntariam Papatus abdicationem?

Quæ omnia dilucide demonstrant, neque aliud intendisse, neque quidquam aliud voluisse Concilium, quam ex causa schismatis, & ex desiderio illud ab Ecclesia tollendi, sibi Papam subjicere per decreta sess. IV. & V. & quia adhuc in dubio versabatur, an in hoc Constantiensi cœtu, adoptatum finem res perduci potuisset; Idcirco. & cuilibet alteri Concilio de eadem pace donanda tractaturo, voluit Papam dicere subjectum. Papam scilicet dubium: Papam schisma pertinaciter foventem: Papam Ecclesiam scindentem, & ob id a fide devium. Legantur acta depositionis ejusdem Joannis, & palam fiet, ex causa schismatis, & hæresis fuisse Papatu exutum. Perinde accidit in Concilio Pisano, quum lata fuit sententia in Gregorium XII. & Benedictum XIII. esto inutili conatu.

Confirmavit Martinus V. acta Constantiensia, adeoque decreta etiam sess. IV. & V. de subjectione Papæ Concilio, inquiunt adversarii. Verum ex actis id neutiquam constat. Nullum decretum confirmationis legitur, nulla sententia. Interrogatur Pon-

tifex ab Oratore Polonorum de alio negotio. (1) Respondet ille: de hoc negotio nihil actum esse in Concilio conciliariter, idcirco nonnisi conciliariter acta confirmata velle, & præcise in iis, quæ ad fidem spectant. Rursus idem Martinus constitutionem edidit, in qua damnatas propositiones Witclephi, Hus., & Hieronymi de Praga iterato damnat, & confodit, ne dubia auctoritas Concilii in favorem hæresis, & hereticorum detorta fuisset. Rem sic se habere constat ex actis, & ex facti specie. Quorsum enim hæc repetitio, si acta Concilii abunde prospexissent fidei securitati? Ast quia plurimæ exceptiones objici poterant, sapienter cautum est, per Martini V. providentiam. Confirmat id omnino Sapientissimus Cano, inquiens: (2) *eo tempore statuit* (Concilium Constantiense) *quo sine capite erat. Contendit autem Cajet. & Turrecrem. Concilium mutilum sine capite in decretis fidei ferendis nullam habere certam auctoritatem; Et quamquam id multis quidem argumentis suadere nituntur: Sed apud me illud est maximum, quod sicut Deus non deficit in necessariis, ita non abundat in superfluis. Cum ergo sola auctoritas deponendi Pontificem hæreticum, & aut eligendi, aut decernendi Catholicum, sit Ecclesiæ necessa-*

(1) Sess. ult.
(2) L. 5. cap. 5. ad 5. qu. concl. 2.

cessaria in casibus, quibus Ecclesia Concilium sine Capite cogere suo juri potest, nihil causæ est, cur ampliorem potestatem Concilio imperfecto tribuamus. Reliqua quidem expediri possunt, vel electo Pontifice Catholico, qui non erat; vel definito certo, cum inter multos quisnam esset verus Pontifex, dubium erat.

His statutis, in fumum abeunt decreta Constantiensia IV. & V. sess. de superioritate Concilii, & de Papæ subjectione, quatenus trahuntur extra casum hæresis, & schismatis criminationis, ut inique Basileenses attentarunt. Quia non erat in potestate Concilii hujusmodi decreta edere, neque in animo Martini fuit ad illa prorsus respicere, nec minus confirmare. Ipsa verba Martini rem probant. Declaravit, modo dicto, duntaxat Martinus V. confirmata velle, quæ & Conciliariter acta fuerant. & in materia fidei. Neque prima, neque secunda conditio comitatur decreta Constantiensia, ad omnem Papam imperite traducta. Non prima, quia repente, ut vidimus, errupere. Non secunda, quum fideles adhuc habeantur, qui illa eadem confutarunt, & damnavere.

Ad exuberantiam hæc dicta sint. Cæterum in sententia persisto, nempe ad casum schismatis prospexisse concilium, & ad casum contendentium Pontificum, ex dubio

sive Juris, sive facti, sive utriusque exorto, ut tunc temporis agebatur; & ob schisma in Ecclesia exstuans aliud non erat excogitandum remedium, quam Concilio contendentes Pontifices subjicere; quod si contingeret ab uno, non posse schisma deleri, ut in Pisano Concilio evenit, opus erat indicere, ut factum est, hujusmodi Pontifices cuilibet alteri Concilio parituros esse. Et sane quantum studium, quanta solertia Concilii fuit, ut & presentes calamitates componeret, & ut futuras præcaveret? (1) Quamobrem in Cap. Frequens, futurum Pontificem, quantum in ipsis Concilii Patribus erat, onerarunt urgentibus decretis, ut quodlibet aliud schisma ab Ecclesia arceret, & ipsa pericula præfocaret.

Huc usque dicta egregie suam firmitatem mutuabuntur a §. seq. ubi de iisdem iteratis decretis agendum est.

§. XXI.

Præcedens Consectarium ampliatur, & roboratur.

AB Eugenio IV. coactum fuit Concilium, quod Basileæ felicibus auspiciis incœptum, progressum corrupit, finem nefario fœdavit schismate, ac tandem tam

(1) Concil. Constant. sess. 39.

tam malorum, quam errorum execratione notatam reliquit memoriam. Hujus generis fundamentis sese fidunt adversarii. Propterea ait Sapientissimus Cano: (1) *Miror equidem illorum cæcitatem, qui Concilium Basileense tueri volunt, cum manifestum sit, illud, licet a principio Eugenio IV. consentiente fuerit congregatum, postea tamen ab eodem primum Ferrariam, deinde Florentiam translatum esse, ubi Basileenses conatus publica Ecclesiæ auctoritate repressi sunt.*

Quid igitur juvat, accersere patrocinium labanti causæ a Concilio adeo infaustæ recordationis, quia decreta Constantiensia IV. & V. sess. reproduxit, restituitque in secunda sess. Basileæ celebrata? Quid juvat? Tunc quippe cœpit Concilium evaporare virus, quod adversus Eugenium evomere moliebatur, & tam progressus, quam exitus rem comprobavit. Vestigiis itaque Constantiensium insistens decreta cit. sess. IV. & V. instauravit, sed ad eundem sensum verba collimabant, nempe pro casu schismatis, & dubii Pontificiis, quare potius commemoratio præcedentium decretorum, quam nova decreta dici debent. Quod certissimis momentis evincitur. I. Quia in illa secunda sess. paucissimi Episcopi aderant. II. Quia quum adhuc post Concilium Constantiense vigeret inter Doctores maxime in Romana

(1) De loc. Theol. l. 5. c. postr. ad 9.

Ecclesia, cui universa traditio docet, & jubet, esse deferendum, sententia de absoluta independentia Romani Pontificis a Concilio Generali, & de ejus suprema auctoritate supra Concilium; Inconsulto non poterat quicquam in contrarium definire, nisi re plene, ac serio digesta, uti gravitas materiæ postulabat. Ex abrupto enim decretum prosilivit, adeoque merito Legatus acriter fuit ab Eugenio increpatus. III. Quia ipsi Patres quum in apertum schisma prolapsi fuere, rati primo illo Decreto nihil ad rem suam se sanxisse, rem omnem ad trutinam revocarunt, & ut articulum fidei sess. 33. definire audacissime conati sunt, sensum Constantiensium Patrum pro casu schismatis, & dubii Papæ, ad sensum absolutum omnium Pontificum detorquendo. IV. Quia perinde intellexit Eugenius una cum PP. Florentinis dato Diplomate condemnationis adversus(1) Basileenses, quorum conventum Conciliabulum, & Synagogam compellavit, & Episcopus Meldensis Orator Christianissimi Regis, conceptis verbis execrationem ingeminavit, testatus in hanc vesaniam Basileenses ruisse, ut ad Aristocratiam, & Democratiam Ecclesiam perducerent. (2) *Quare nihil mirum si turpiter, & pueriliter erraverint, eos pro Hæreticis con-*

(1) Decretal. Moyses.
(2) loc. cit.

condemnando, qui nunc sine controversia fideles habentur, inquit Cano laudatus.

Neque refert, Eugenium statim ab initio dissolvisse Concilium, mox solutionem revocasse, ut ex literis Eugenii sess. XVI. lectis constat. Quia revocatoriæ literæ nihil aliud gestiebant, quam Concilium legitime ab initio fuisse inchoatum, legitimeque continuatum. An autem bene, vel male, prætermisit Eugenius in posterioribus literis indicare, quod tamen primis reprehenderat, ubi facta, & gesta adversus Pontificiam auctoritatem retractare, & abolere imperabat. Hoc unum adnotandum est, Eugenium perpetuo damnasse Basileenses, quia ad obtortum sensum trahebant decreta Constantiensia, illumque satis ample Basileenses explicarunt, cum ausi sint in primis sessionibus ipsum Eugenium abjicere, & perinde ac Ecclesia sine vero Pontifice esset, sub capite Christo congregari, & sedere se jactaverunt. Deinde, quod lepidum est, omnem artem Basileenses impenderunt, ut Eugenius, sive per vim, sive per metum coactus, indictam Concilii dissolutionem deleret. Quod ubi factum est, abjecto Christo, ut immediato capite, sub visibili capite immediato, scilicet Eugenio consedere gestiebant parati. Quis has antilogias; Quis hanc præposteram agendi rationem intelliget, aut unquam laudabit? Nihilominus

adverſarii feſtive exultant, & magnifice pronuntiant, Conſtantienſibus decretis acceſſiſſe auctoritatem Concilii Baſileenſis.

Quidquid deinceps actum eſt, ſive per ipſum Eugenium, ſive per Nicolaum V. ſucceſſorem Eugenii mitius procedendo adverſus Baſileenſes ad avertendum ſchiſmatis incendium, vel extinguendum, geſtum fuiſſe conſtat. Audire iterum præſtat Eugenium in Concilio Florentino edita Conſtitutione, quæ incipit *Moyſes*, ita loquentem: *In hoc pernicioſiſſimi* (Baſileenſes) *dum ſuam malignitatem ſub veritatis fidei fuco colorant, Conſtantienſe Concilium in malum, ac reprobum ſenſum, & a ſana doctrina penitus alienum, pertrahunt; cæterorum hæreticorum, & ſchiſmaticorum falſam doctrinam ſequentes, qui confictos errores, & impia dogmata ex divinis Scripturis, & Sanctis PP. perverſe intellectis, ſemper adſtruere moliuntur*. En quomodo de decretis Conſtantienſibus per Baſileenſes evulgatis, ac ſi veritates fidei forent, loquitur Eugenius. Etenim probe noverat, voluiſſe illos docere, omnes ad unum Romanos Pontifices, ſive certos, & indubitatos, ſive ab hæreſi, & ſchimate alienos, inferiores eſſe Concilio, eique ſubjectionem, atque obedientiam debere.

Nicolaus V. ob temporis nequitiam, quantum eniti potuit, pacem Eccleſiæ per ſchiſ-

ſchiſmatis extinctionem conciliare curavit. Id compacto Inſtrumento perfecit, quo comminationes, (1.) privationes, tam facti, quam Juris, cenſuras, criminationes, & pœnas quaſcumque adverſus Concilium Baſileenſe latas, delere, & irritas, perinde ac ſi nunquam emanaſſent, declarare dignatus eſt; Etiamſi cum expreſſione Ferrarienſis, ſeu Florentini, aut alterius Concilii Generalis fuerint denunciatæ. Sed quorſum hæc ad patrocinium dejectæ auctoritatis Pontificiæ infra Concilium? Quorſum hæc ad accerſendum errori præſidium? Nunquid quod factum eſt duntaxat ad purgandum perſonas, ab admiſſo crimine, juvabit ad laudandum ſchiſma, ad abſtergendam iniquitatem, vel ad ſcelus approbandum? Veritates a Baſileenſibus venditas tanquam articulos fidei, adhuc omnis Fidelis execratur. Jactatas a Baſileenſibus definitiones fidei adhuc Eccleſia rejicit, & abhorret. Superioritatem Concilii ſupra Papam, extra caſum hæreſis, & ſchiſmatis adhuc potior, & longe major pars Orbis refutat, & averſatur. Adhuc decretalis Moyſes ab Eugenio edita ſuo conſiſtit vigore, & robore, pleniore parte Eccleſiæ conclamante. Et erit animus alicui omnia hæc luce clariora tenebris offundere, & perinde iis adverſari, ac ſi Nicolaus V. perſonas reintegran-

(1.) Epiſt. ad omnes fidel. 3. apud Labbe tom. 13.

grando, ut pace Ecclesiæ fruerentur, itidem cum errore pacem conciliare præsumpserit? Absit hoc a Nicolai V. sapientia, & innocentia; dicamusque inconcussam persistere Decretalem Moyses, & Basileenses, instando apud Nicolaum, ut a contractis pœnis eriperentur, confessos esse, velint, nolint, supremam inesse Papæ potestatem eas infligendi, & ab illis absolvendi etiam ipsos, qui Concilia complent, & jactant, se in Spiritu Sancto congregatos esse; nec non universalem Ecclesiam repræsentare sub immediato capite Christo.

§. XXII.

Quartum Consectarium educitur.

ROmanos Pontifices studiosissimos in Canonum incolumitate, & observantia, tum tuenda, tum promovenda, fuisse, & esse profitemur: Adeo ut ne quam jacturam subirent, pluries protestati sint, se habere Canonum custodiam, non dominatum; Dispensatores esse, non dissipatores, & usque ad sanguinem pugnaturos, ne violatores dici unquam paterentur. Nemo tamen inficias ibit, in quacumque Republica, sive communitate recte instituta triplicis generis Jura attendi oportere. Aliud divinum, quod supra nos est; aliud naturale,

le, quod eſt in nobis : aliud humanum, quod infra nos eſt. In jure divino, & naturali, nonniſi Deus ipſe, & Conditor naturæ dominari poteſt. Reliquum ad jus humanum ſpectat, & ſub aliquo ſupremo Principe, & interprete neceſſe eſt leges conſtituere, ne unuſquiſque, occurrente neceſſitate, ſit ſibi lex, Judex, Interpres, & ſimul legis violator.

Itaque in Chriſtiana Republica nemo ſupra Canones aſſignari poteſt ſupremus Princeps, præterquam ille, qui Principatum in Eccleſia tenet, cujuſmodi eſt Romanus Pontifex, in quo omnes agnoſcunt inſidere plenitudinem poteſtatis. Non enim Concilium Generale præſto eſſe poteſt, vel ad diſpenſandum, vel ad derogandum, vel ad occurrendum corruptelis per meliores, aut opportuniores leges, quemadmodum ſummus Pontifex, ad quem proinde ipſa Concilia etiam jubent referre, & ubi neceſſitas urget, & ubi utilitas publica poſcit, remedium expoſtulare.

Fatemur, adeſſe Canones bonum univerſale Eccleſiæ ſpectantes, omniumque fidelium obedientia conſecratos, quos immutare, aut convellere piaculum ſummum eſſet. Sed nunquid ad deprimendam auctoritatem Papæ infra Canones hoc juvat? Minime gentium. Identidem talia contingunt in quocunque Monarchico Imperio, quin

Rex

Rex ſubjectus legibus, aut Regno dicatur. Poſſunt enim eſſe leges, plurium aliarum fundamenta, & baſes, quibus ſublatis, tota rueret Eccleſiaſtica, vel Civilis politia. Poſſunt eſſe leges, quæ vix vel nunquam mutari in melius valeant; & tandem poſſunt eſſe leges, quæ ſi tollerentur, Fidelium tranquillitas, vel diſciplina periret. Quare poteſtas data in ædificationem, nunquam in deſtructionem intelligi debet collata. Quæcunque ſit illa impotentia hujuſmodi leges abrogandi, nullatenus indicat ſubjectionem legibus, quia non eſt impotentia abſoluta, ſed conditionata ex ſuppoſitione vel materiæ, vel recti regiminis exigentis, hujuſmodi leges immobiles, & inconcuſſas ſervari.

Rurſus non repugno, dari leges, quas ipſe ſupremus Princepes ſibi quoque convenire cogitet, ſit neceſſe: Proinde tamen ſub legibus eſſe non eſt dicendus. Quoniam ipſe ſponte obſervare debet, ut vel aliis exemplo præluceat;vel obſervantiam ſubditorum ſuo opere dirigendo, licentiam obloquentium iniqua coerceat. Cæterum ſi eas violare contingeret, nullius Judicis judicium patietur, quia nullum ſuperiorem agnoſcit. Quæ in Civili politia communiter Doctores probant, reſpectu Principis Monarchæ, fortiu cogimur de Romano Pontifice aſſerere, qui nemini, niſi Chriſto ſubjacet, a

quo

quo immediate Pastor omnium est dictus, totiusque ovilis supremus Hierarcha, a solo divino pendens judicio, ut ipsa Concilia explicavere.

Præest igitur Canonibus Romanus Pontifex, suamque supremam potestatem exercet, quum dispensat, quum derogat, quum auget, quum minuit, esto semper licitum non sit abrogare, vel immutare, imo sæpe sæpius, etiam si liceat, non tamen expedit, ut scribebat Apostolus. Eodem jure potitur Papa in Generalibus Conciliis pro sua suprema auctoritate, qua pollet in Ecclesia, sed minime semper expedit exercere, ne concertationes ad opinantium discordiam prorumpant. Verum si casus contingeret inter Papam, & Patres disceptationem emergere, tunc pro qualitate materiæ, alterutra pars superabit. Vel enim contra manifestam veritatem altera pars pugnat (quod de Summo Pontifice divinam providentiam nunquam permissuram speramus) vel in re ardua, & utrinque suis fulcita momentis discussio procedit. Si primum dicatur; tunc certe coercenda erit pars errabunda, quæcunque illa sit, quum accedente pertinacia etiam hæresis notam incurrat. Si vero secundum occurreret, suspendendum judicium est, donec, docente Spiritu Sancto, veritas elucescat. Quod si Patres Concilii adversus Papæ sensum pronunciarent,

pro-

procul dubio sententia non haberet certitudinem fidei, donec firmitatem a Pontifice Romano acciperet. Dilucide hæc probantur in Quinta Synodo, cujus decretum damnationis trium Capitulorum pendulum hæsit, usque ad permissam confirmationem Vigilii Papæ. Sin autem Papa, dissentiente Concilio, ex Cathedra doceret, sententia ejus pro fide tenenda esset, quia per os Petri jubemur, audire, & credere, ut dicitur in Actibus Apostolorum. Jubemur quoque audire, & credere per os Concilii simul cum Papa docentis, sed nunquam legitur Ecclesiam obstringi audire, & credere per os Concilii dissonantis a capite, cujusmodi est ex divino jure Romanus Pontifex.

§. XXIII.

Quintum Consectarium affertur.

SUpremæ auctoritati Romani Pontificis, ejusque judicio ex Cathedra lato, omnino aberrationis exsorti, debetur etiam omnium librorum, & auctorum censura, atque potestas eos probandi, vel condemnandi. Injucundum haud erit hæc ostendere, quum instent tempora mala. Synodus Ticinensis, præsente Imperatore (1) Caro-

(1) Baron ad an. 876. & in Conc. c. 2.

Carolo Calvo celebrata, frequentia Gallorum Antistitum aucta, honorem summo Pontifici ex debito: professa est: *Et quæ secundum sacrum ministerium cum auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipi deberentur*. Id ipsum firmavere Gallicani Præsules in Synodo Trecensi (1) coram Joanne VIII. cui jure jurando inviolabilem obedientiæ significationem spoponderunt, & Sanctam Romanam Ecclesiam professi sunt agnoscere ut *Matrem*, atque *Magistram*. (2) Nicolaus I. Photii temeritatem compescens, docuit a Sede Apostolica exquirendam esse veritatis doctrinam, in hæc verba: *Quia universitas credentium ab hac Sancta Romana Ecclesia, quæ caput est omnium Ecclesiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem, qui digni sunt, & gratia Dei redempti, exorant; oportet nos, quibus commissa est, solicitos esse.. Et ideo consequens est, ut quod ab hujus Sanctæ Sedis Rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis præpediente occasione, proprias tantum sequendo voluntates, removeatur, sed firmius, atque inconcusse teneatur*.

In prædictorum efficaciam venit, recte ab eodem Nicolao suæ auctoritati vindicatam esse

(1) ad an 878.
(2) Epist. 6. ad Phot.

esse ex more antiquo omninum librorum, auctorumque promeritam censuram. Scribens nanque ad Gallicanos Episcopos, ita eos alloquitur: (1) *Sic enim ipsorum* (Romanorum Pontificum) *decreto caeterorum opuscula tractatorum approbantur, vel reprobantur, ita ut quod Sedes Apostolica probat, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, hactenus inefficax habetur; & quanto potius quae ipsa pro Catholica Fide profanis dogmatibus repellendis, pro variis, & multifariis Ecclesiae necessitatibus, & fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debet honore praeferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione, vel dispensatione magistra reverenter assumi.* Quumque innotuisset Nicolao, Joannem Scotum Erigenam in doctrina Operum Divi Dionysii, quae ex Graeco Latine reddidit, deerrasse, compulit sibi librum examinandum ex Galliis transmitti, dicens: (2) *Relatum est Apostolatui nostro, quod opus B. Dionysii Areopagitae, quod de divinis nominibus, vel caelestibus ordinibus Graeco descripsit eloquio, quidam vir Joannes genere Scotus, nuper in Latinum transtulerit; quod juxta morem nobis mitti, & nostro debuit judicio approbari: Praesertim cum idem Joannes, licet multae scientiae esse praedicetur,* olim

(1) Ep. 47. tom. 3. Concil. Gall. pag. 259.
(2) Tom. 3. Concil. Gall. pag. 352.

olim non ſane ſapere in quibuſdam frequenti rumore diceretur. Itaque quod hactenus omiſſum eſt veſtra induſtria ſuppleat, & nobis præfatum opus ſine ulla cunctatione mittat, quatenus dum a noſtri Apoſtolatus judicio fuerit approbatum, ab omnibus incunctanter noſtra auctoritate acceptius habeatur. Quibus inſtructus Godefridus Viterbienſis in Epiſtola nuncupatoria ad Urbanum III. quam ſuo Chronico univerſali præfixit, eandem auctoritatem demiſſa animi ſignificatione deprædicat. Præmiſerat eandem proteſtationem, & Divus Auguſtinus in Epiſtola pariter nuncupatoria ad Bonifacium I. quæ extat in opere contra duas epiſtolas Pelagianorum, & S. Anſelmus Cantuarienſis in ſimili epiſtola libri de fide Trinitatis, & Incarnationis Verbi ad Urbanum II. & Divus Thomas Aquinas in Epiſtola Dedicatoria Catenæ Aureæ ad Urbanum IV. ex quibus conſtat eſſe Romani Pontificis curam, modum, & moderamen retinendum in ſtudiis, & Doctrina præſcribere. Idipſum agnovit Duodecimo Sæculo Stephanus Tornacenſis Epiſcopus, enixe rogans Cæleſtinum III. ut Academias cogeret ad uniformem docendi rationem, & veritatis ſectandæ ſtudium. (1) *Aec omnia Pater* (inquit) *correctionis Apoſtolicæ manum deſiderant, ut uniformitas docendi, diſcen-*

(1) Ep. ad Cæleſt. 3. apud Claud. de Moulin.

di, disputandi auctoritate vestra ad certam redigatur formam, ne sermo divinus attritione vulgari vilescat.

Audiatur S. Thomas Cantuariensis Archipræsul scientia, & Martyrio illustris, qui peremptorio argumento divagantia quæque ingenia comprimit. (1) *Doctor Gentium*, inquit, *qui gloriatur, se non ab homine, neque per hominem Evangelium didicisse, sed instructus a Christo, ascendit Hierosolymam cum Ecclesiarum Principe de fide contulit, ne forte in vacuum curreret, vel cucurrisset .. Siquidem fons Paradisi unus est, sed in plura rescinditur flumina, ut undique irriget terram. Quis Romanam Ecclesiam Caput omnium Ecclesiarum, fontem Catholicæ Doctrinæ ambigit esse?*

Cohæret S. Thomas Cantuariensis libello Hadriani II. in Synodo Octava act. 1. relecto, & a Patribus cunctis subscripto, ubi egregium erga Romanam Ecclesiam proferebatur encomium: *Quia in Sede Apostolica immaculata est semper Catholica servata religio, & sancta celebrata doctrina.*

Hugo Etherianus celebris scriptor duodecimi Sæculi lib. 3. de hæres. quas Græci in Latinos devolvunt, cum super additione vocis *Filioque* in Symbolo argueret, ait: *Licuit* (Romano Pontifici) *semperque licebit Fratres confirmare, decreta edere, cudere*

(1) l. 1. Epist. 97. ad Episc. Angliæ.

dere interpretationes, ſicubi aliquid obſcure ſcriptum ſit, & de voluntate ſcriptoris argumentari, judicio voluntatis illius relicto facere hoc perſuadente. Is enim eſt, cui oves, & agni commiſſi ſunt, & idcirco non ſolum ſcripti recitator eſſe debet, verum interpres illorum, quæ adſcripta non ſunt, ut caput ovium Dei, & Paſtor.

Pluribus non eſt opus; neque enim ex novis ſcriniis, tanquam arcana proferuntur, ſed ut antiqua, & obvia documenta exhibentur. Unde mirare ſubit, adverſus antiquitatem aliquos audacter pugnare, quum Pontificiam condemnationem librorum, aut theſium, ſive proſcriptionem propoſitionum vel parvi habere, vel contemnere, vel adhuc ſubſannare non erubeſcunt. Non docuit antiquitas alteri eruditioni inſiſtere, ſed illi, quam Romana ſectatur Eccleſia. *Hac enim confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis traditio.* Hactenus Hugo Etherianus.

§. XXVI.

Sextum Confectarium editur.

DE Privilegiis a Christo collatis immediate Romano Pontifici, huc usque loquuti sumus, quæ concuti possunt, convelli non possunt, quati possunt, everti non possunt. Idcirco mirandum ne est, si Romanus Pontifex, sua jura sustinendo, a procacibus hostibus, pugnacissime exagitetur? Etenim uniformiter suæ auctoritatis supremam potestatem, tum super universam Ecclesiam, tum super Concilia cujuscumque amplitudinis, & præeminentiæ sint: quum in causis fidei dirimendis, vel hæresibus, aut aberrantibus, sive hæreticis profligandis, & confodiendis, judicandi finaliter, & peremptorie per irreformabilem sententiam nunquam fallacem, nunquam fallentem, nunquam dubiam, sed firmam, & certissimam undequaque prævalentem, potestatem Romani Pontifices statuerunt, proclamarunt. Quoties id præstiterint, nullus, nisi falsiloquus ignorat. Nunc indignantes, ut audaces corriperent: Nunc interpretantes, ut male instructi dedocerentur: Nunc decernentes, ut vacillantes confirmarentur: Nunc proscribentes libros, ac theses, ut deviantes ad saniorem stu-

ſtudii rationem ſe converterent, neque alios fallerent: Nunc cenſuris protervos configentes, ut eos compeſcerent: Nunc conſtitutiones, & decreta edentes, ut ad veritatis tramites devii revocarentur.

Sed adhuc incaſſum. (Iterum luctuoſa deflere oportet) Pertinacia non flectitur. Agitur de fide; ad ſuperioritatem Concilii quæſtio divertitur, propulſantur hæretici, refricatur opinio de auctoritate Papæ, que pugnam præoccupat. Eduntur dogmaticæ Conſtitutiones, ad Concilium provocatur, & de auctoritate tranſigere præſumitur. Obedientia prædicatur, & bellum committitur. Inſtruuntur Populi de rebus, ſive ad fidem, ſive ad diſciplinam ſpectantibus, & ſive opportune, ſive importune (parum illorum intereſt) neceſſarium ducitur vellicare, carpere, deprimere auctoritatem Pontificiam, & diſceptationes de Romano Pontifice obtrudere; Adverſos Doctores deſpuere, eiſque ſimul, ac Sedi Apoſtolice dentem theoninum infigere.

Attamen obtuſis, ac crebro confractis ſpiculis huc uſque adverſus Pontificiam ſupremam auctoritatem, & Romani Pontificis inconvulſa privilegia pugnatum eſt, & pugnatur. Pro muro ſtant, Pontificii Doctores, & Patres, & violentas manus retundunt cum Apoſtolo dicentes: (1) *Non enim poſ-*

(1) 2. ad Cor. 13. 5.

possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. Etenim quum in Comitiis Cleri Gallicani anno 1682. coactis declarationes emanaverint, auctoritatem, & infallibilitatem Pontificiam comprimentes, Innocentius XI. deinde Alexander VIII. Pontifices Maximi, potestate sibi a Christo data, eas mox reprobarunt, ac deleverunt.

Alexandro VIII. hac strenue navata opera, vita functo, suffectus fuit in Sede Petri Innocentius XII. qui, ad vindicandam Pontificiam auctoritatem, Prædecessorum vestigiis insistens, voluit enixe, & obtinuit, ut a Rege Christianissimo vacuum effectu declararetur edictum Regium prædictis propositionibus Cleri Gallicani favens, & ut candidati pro adipiscendo Episcopatu, qui dictis comitiis interfuere, male partas declarationes ex animo irritas facerent, & abrogarent. Utrumque impletum est. Extant literæ Ludovici XIV. ob egregium facinus magno nomine digni; & extant literæ Episcopatuum candidatorum ad Innocentium XII. datæ, quibus nota, testataque prædicta comprobantur.

Quum hæc ita se habeant, in apertum, lucemque decantata; mirandum sane, quod eadem toties collisa, ac ejurata ab orco revocentur, & usque ad convicium decantentur! Et nondum finis. Sed quoniam post *invidiæ Sylvam* (utar verbis S. Opta-

ti

ti Milevitani) (1) *securibus veritatis abscissam, video adhuc vestras provocationes pullulare:* Sententiam ejusdem Afri Antistitis, qua adversarios suos compellabat, hic ad verbum usurpare placet. Ajebat enim: (1) *Vos dicitis, licet: Nos dicimus, non licet. Inter licet vestrum, & non licet nostrum, nutant, & remigant animæ Populorum. Nemo vobis credat; nemo nobis; omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt Judices. Si Christiani, utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur. Deforis quærendus est Judex; si Paganus, non potest nosse Christiana secreta; si Judæus, inimicus est Christiani Baptismatis; ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium. De cælo quærendus est Judex. Sed ut quid pulsemus ad cælum, cum habeamus hic in Evangelio testimonium?... Nunc adestote omnes turbæ, & singuli Christiani populi: Quid liceat, discite. Dum provocat Petrus, Christus docet. Qui dubitat, discat. Christi vox est.* Et quidem repetita vox est. (2) *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam..* (3) *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* (4) *Petre amas me? Pasce oves meas, pasce agnos meos.* (5) *Fiet Unum ovile, & Unus Pastor,* (6) *& Portæ Inferi non prævalebunt.*

(1) l.6.cont.Parmenian. circa med. (2) Matth. 16. 18. (3) Luc. 22. 23. (4) Jo: 21. 15. 17. (5) Jo: 10. 16. (6) Matth. 16. 18.

APPENDIX.

HALLUCINATIO

DETECTA

IN

PLACITO PARISIENSI.

AB labore conquiescere decreveram, quum ad manus venit quoddam Placitum Parisiensis Parlamenti, datum sub die 23. Februarii 1733. quod vulgo Arrestum vocant, cogens omnes doctores ad intendendas omnes vires, ut libertates Gallicanæ incolumes, atque imminutæ ad extremum usque serventur, ac doceantur, comminata indignatione, si quis aliter dicere, vel sentire ausus fuerit. Inopinatum imperium animum solicitavit, novis curis incumbere, ut de pervulgatis undique libertatibus istis, quidquam ad rem nostram opportunum referre contingeret: vel saltem fucum, atque hallucinationem quibusdam illatam, si superis placet, abstergere, & detegere conarer. Per capita rem dilucide proferam.

CAPUT I.

Libertas idem valet, (1) ac immunitas a servitute, subjectione, & dependentia, quæ in idem redire videntur; quapropter, nisi verbis ludere velimus, liberum id erit, quod sibi jus tribuit agendi, vel dicendi, prout libet.

Porro Gallicana libertas, seu Gallicanæ libertates, vel libertates Ecclesiæ Gallicanæ quam immunitatem sibi adscribant, & in quo genere contineantur, aut quo se extendant, diligentius perquirendum est.

Si consulamus Scriptores, implexa res evadit. Sæculo elapso prodierunt in lucem duo volumina sine auctoris nomine, Parisiis impressa anno 1639. quorum unum præferebat pro titulo: *Traitè des droits, & libertè del' Eglise Gallicane*: Alterum vero: *Preuves des libertes del' eglise Gallicane*. Attamen male, & auctor tunc ignotus, & opus audierunt in Galliis. Agente quippe Cardinali Roccafocaltio quotquot Parisiis versabantur Episcopi, in unum congregati, dictatum encyclicum decreverunt in hæc verba: (2) *In hac alma Regni Sede, paucis abbinc diebus nullo palam auctore, nulla publica edendi facultate, typis mandata sunt duo*

(1) Schard. Lexic. Jurid.
(2) In 2. tom. auctorum Cler. Gallic.

duo volumina vulgari idiomate, quorum uni titulus est: Traitè des droits, & libertè de l' eglise Gallicane 1639. *alteri vero: Preuves des libertez de l'eglise Gallicane* 1639. *Quæ haud dubio furtivo cursu non ad vestras modo diœceses, sed ad cæteras etiam nationes destinantur grassatura. Non enim hæreseos, & schismatis, ac talium operum promotor, & artifex dæmon, hujusmodi faces accendit, nisi ut spargat. Inter falsas, & hæreticas, quas detestabamur, Ecclesiæ Gallicanæ adscriptas servitutes potius, quam libertates, vera quædam, & gloriosissimi Regis nostri jura, & Gallicanæ Ecclesiæ privilegia exposuit.. Arceantur oves vestræ a pascuis, ubi pullulant aconita tam densa, inter quæ salutaris herba rarissima latitans, vix potest sine præsentissimo periculo seligi. Volumen enim utrumque fere per omnia commenta noxium, hæreticum passim, schismaticum, impium, verbo Dei frequenter contrarium, hierarchiæ ecclesiasticæ, & disciplinæ Sacramentorum, & Sacrorum rituum destructivum, Sanctæ Sedi Apostolicæ, Gloriosissimo Regi nostro, Sacerdotibus Dei, & ecclesiastico ordini, ipsique adeo Ecclesiæ Gallicanæ injuriosum, ac periculosissimo scandalo plenum, a nobis publico consensu judicatum esse, vobis significamus.*

Auctor ille, tunc ignotus, se prodidit in secunda adornata impressione sub nomine Pe-

Petri Pithœi. Hic in primo tomo discerpta in frusta ecclesiastica libertate, atque jurisdictione, assumptum conatus est probare per decreta, & placita laicæ potestatis, quibus vere Episcopi probarunt, servitutis jugum ostendi, non libertates vindicari. Favit Episcoporum sententiæ Regium Consilium, eique faverunt scriptores Gallici æqui & justi amatores, inter quos præstat audire Tomasinum (1) adversus hujus generis libertates dicentem. *Procul amandandos esse, qui bas Ecclesiæ Gallicanæ servitutes potius quam libertates promiscue, & proterve interpretantur.*

Si fas est per alios scriptores excurrere, primo se offert Jacobus Leschasserius,(2) qui in opusculo adversus libertatum Gallicanarum indagatores, censet jejunos esse dimittendos hujusmodi petitores. *Idcirco illi*, inquit, *qui quærunt audire singillatim omnes, & singulas libertates Regni, aut Sancta decreta hic recepta*; *vel mores, & consuetudines Regni ejusdem, politiam ecclesiasticam concernentes, sive unde originem, & auctoritatem bæc jura traxerint*; *nesciunt prorsus suam ignorantiam melius pandere, circa hujusmodi jurium notitiam, de quibus in quirunt, quam tempus terere in bisce inter-*

(1) Differt. 8. in Sxnod. Roman. n. 103.

(2) In volum. 1. de liberte del' Eglis. Galli. pag. 243. in fin. an. 1731.

terrogationibus. Adhuc si forent mysteria, utique declarare esset opus, ne infandam originem, & jus ipsum eruditi suspicarentur incertum, & injustum.

CAPUT II.

VEstigia Gallorum scriptorum sectemur, oportet, ut aliquem aditum adinvenire liceat.

Renatus Choppinus de sacra Politia, (1) parum discedens a damnato commento Petri Pithœi, in hæc verba se explicat: *Cum adversus Canones* (antiquos) *Pontificiis rescriptis nonnulli abuterentur, sensim inferior ætas, Galli Monarchæ, prætoresque Regii, cœperunt eum abusum, Canonicæque doctrinæ neglectum civili imperio vindicare: ne cui in Ecclesiasticam disciplinam Ecclesiæ privato fas esset moliri quidpiam intra Franciæ ditionis pomeria; aut alioquin districte revocaretur mos hierarchiæ vetustioris. Ac illius quidem auctoritatis, libertatisque francicæ vestigia cernimus*. Et ulterius (2) refert tunc ad Senatum Regium ab Ecclesiastico judice provocari, cum quidquam decretum fuerit adversus Canones venerandæ vetustatis. Qui sint autem hi Canones priscæ vetustatis Pontificiis rescriptis infracti, & quo

jure

(1) l. 1. tit. 1. n. 13.
(2) l 2. tit. 4. n. 1.

jure novissime (inferior ætas) prætores laici se interposuerint, sacram potestatem cohibere; adhuc non audio, nisi id *sensim* actum esse. Verum nonne vetustiores, ac Sacratiores Canones vetant laicis in caussis ecclesiasticis se immiscere, & partes Prælatorum invadere? Attamen Choppino placet Pontificia rescripta criminis fractionis Canonum postulare, laicum vero zelum absolvere. Ad ulteriora pergamus.

Guido Coquille(1) in institutionibus ad Jus Gallorum, statuit libertates Gallicanas poscere, ut Canonibus valde antiquis adhæreatur, & plurimæ Pontificiæ constitutiones a 400. annis datæ non admittantur; nonnullis tamen adhuc ex illis, receptis.

Christophorus Justellus in epistola ad Jacobum Leschasserium, quæ legitur initio Tomi Canonum universæ ecclesiæ, aliam viam init, dicens: *Quamvis in jure communi antiquo positam esse libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, ab omni ævo Reges, Episcopi, Regni ordines, tota denique Gallia affirmaverit; vetus est tamen in senatu Parisiensi sententia a majoribus per manus tradita, & memoriæ omnium, qui prudentia, & usu valent, insculpta; illam libertatem maxime quatuor primis Conciliis Oecumenicis, & iis, quæ ab illis confirmata sunt, contineri, & quæ contra fiunt, præcipuas appella-*

(1) tit. de Jur. Reg. in tom. cit. pag. 192. n. 4.

lationibus iis causas præbere, quæ velut ab abusu interponuntur. Hanc suam opinationem propugnatam fuisse, ait Justellus a Cardinali Lotharingio in plenario Tridentino Concilio, adeout institerit in tabulas referri, ut ad praxim reduceretur reintegranda.

(1) Petrus de Marca Parisiensis Archipræsul libertatem Gallicanam vocat usum antiqui juris communis. Eidem cohæret Carolus Feuretus (2) in suo tractatu de abusu.

Joannes Doviatius antecessor Parisiensis inquit: (3) *Apud nos Jus Canonicum speciale triplex distingui potest. Constat enim veteribus Ecclesiæ institutis, quibus majores nostri tenacius, quam vicini populi, adhæserunt, quæ vulgo immunitates, seu libertates Ecclesiæ Gallicanæ dicuntur.*

Carolus Mauritius Letellerius Remensis Archiepiscopus in protestatione facta anno 1678. adversus evectionem Episcopatus Cameracensis, Remensis Ecclesiæ suffraganei, ad Archidiœcesis dignitatem, declarat, fundamentum Gallicanæ libertatis inconcussum, & unicum esse vetustiora quatuor generalia Concilia.

Tan-

(1) l. 3. de concord. sacerd. & imper. c.1. n.7.
(2) Cap. 4.
(3) Synops. histor. Juris Pontif. in fin. ad Sylloge oper. ad jus sacrum.

Tandem, ne diutius immorer; Conventus Gallicanus anni 1682. Parisiis habitus; initio palam professo est, Fundamentum Gallicanæ libertatis sacris Canonibus, & Patrum traditioni inniti. Singula expendere pro veritate necesse est.

CAPUT III.

Dimissis aliis Scriptoribus, qui apud Petrum Pithœum citati leguntur, (1) neque majorem lucem rei, de qua agimus, afferunt, nihil ad rem extundimus ex allatis sententiis, nisi quam maximam in excogitatis opinionibus dissonantiam. Si Petrum Pithœum admittimus, vel nullum, vel vix contortum aliquem notatum Canonem inspicimus, quapropter improbam servitutem, neutiquam assertam libertatem Ecclesiis Gallicanis agnoscimus collatam, vel restitutam, ut probe sapientes Episcopi Galli in laudato Parisiensi conventu censuerunt. Si Renato Choppino credimus, modernus admodum usus invaluit, rescriptis Pontificiis reniti, perinde ac violatoribus vetustioris disciplinæ. In corpore Juris Canonici infinita propemodum rescripta Pontificia leguntur, quin retroacta antiquitas ægre tulerit, vel dubitaverit Canones vetustiores convelli; & uni Choppino

pino

(1) ad Thom. 1. Pithœi in prœm.

pino visum est, huic malo allatum sensim fuisse remedium. Si sensim, ergo clanculario molimine illegitimæ potestatis.

: Si Guidoni Coquille aures præbemus, Jus Gallicum collocare est in refutatione Constitutionum Apostolicarum a 400. annis inchoata. Est ne hoc ferendum in florentissimo Regno, ubi professio fidei a Pio IV. adornata, de præstanda Romano Pontifici debita obedientia, tum ab Episcopis, tum a Prælatis inferioribus, tum a Doctoribus, cæterisque ecclesiasticis etiam in Synodo adunatis emittitur?

Si Christophoro Justello fides est, in jure communi stat tota Gallica libertas. Ecquis est in orbe, qui jus commune aversetur? Forte aliæ nationes ecclesiasticæ hac libertate non gloriantur, hac libertate vivendi sub suis legibus, a sæculi judiciis segregatis? Ecquis prohibet jure canonico uti, quin ad remedia extranea alienas partes invadentia necesse sit provocare? Ecquis est fractor antiqui juris? Qui dispensat, aut qui ad dispensandum molestissime exagitat? Qui se ad vetustatem accommodat; & qui jura antiqua semper urget in suis judiciis, uti in Curia Romana perpetuo servatur, vel qui hujusmodi judicia audire detractat? Sed pro nunc satis. Ulteriora detegenda nos vocant.

CA-

CAPUT IV.

PLerique Scriptores Galli dimicant inter se perquirendo fontem, unde hujusmodi libertates dimanaverint. Aliqui, (1) ut placet Justello seniori, & juniori ejus filio, ac Jacobo Leschasserio, nituntur eas revocare ad vetustissimum codicem Ecclesiæ universæ ante collectionem Dionysii Exigui. Sed futilis conjectatio est, quum Ecclesiæ Romanæ prorsus ignotus fuerit hic codex, nisi velint pro codice universæ Ecclesiæ obtrudere CodicemCanonum Trullanæ Synodi a Græcis venditatum, quem Ecclesia Romana non probavit, imo rejecit, ut testatur Anastasius in vita Sergii PP.

Alii, ut censet Carolus Feuretus, (2) opinantur, antiquitus inGalliis duosCodicesCanonum extitisse; nempeCollectionem Dionysii Exigui, & alium innominatum proprium Ecclesiæ Gallicanæ. Sed quid ad libertates Gallicanas potuit unquam conferre Dionysiana Collectio, quam etiam ecclesia Romana suscepit, & laudavit, ut ex Cassiodoro (3) narrat Cardinalis Baronius?

(1) In epist. ad Leschasser. Bibl. Jur. Canon. pag. 1. in epist. præfix. consult. de interd. Ven. ib. pag. 10. in præfat. ad Bibl. Jur. Canon. pag. 21. in op. de Jur. Canon. & Eccl. Gall. libert.

(2) l. 1. de abusu c. 4. n. 20.

(3) ad an. 325. n. 123.

Quid unquam contulit alter Codex proprius Canonum Ecclesiæ Gallicanæ penitus antiquitati ignotus, & eruditis nostri ævi minime perspectus, ut ingenue fatetur Sirmundus? (1) Sed utinam alicui Codici Canonico innixæ essent Gallicanæ libertates, quia nunquam reviviscerer damnatus Pithœus.

Alii Scriptores referunt acceptas libertates suas capitularibus Caroli Magni sæculo nono compactis. Hadrianus I. Pontifex Maximus impulit Religiosissimum Principem ad aggrediendum tam arduum opus, eique pro Archetypo transmisit Codicem Canonum, & decretorum a Dionysio Exiguo compilatum. (2) Benedictus Levita posteriorum librorum collector, in præfatione eisdem præfixa testatur, eos expresse probatos fuisse a summis Pontificibus, aut ab eorum Legatis, & confirmatos. Sed nihil pro libertatibus extunditur. Adhuc nimis sero post Carolina Capitularia excogitatum est hoc nomen, & invectus est usus. Jus utendi Ecclesiasticis regulis pro disciplina vel conservanda, vel resarcienda, episcopali judicio, aut Patrum traditione sancitis, nemini invidet Romana Ecclesia. Propterea inepte vocaretur libertas, id quod ad jus per-

(1) in præfat. ad Conc. Gall.
(2) Baron. ad an. 819. & 845.

pertinet. Concilium Tridentinum ad hoc Episcopos, & Metropolitas acuit, & urget, ut Synodos frequenter cogerent.

Alii tandem, (1) ut Petrus de Marca Parisiensis Archiepiscopus, scriptor postremus, non dubitant asserere usum juris canonici communiter in ecclesia habiti, jam invaluisse in Galliis postremis sæculis; unde ille ait: *Antiquos Canones, & jus commune intelligebant (Galli,) quod Gratiani decreto, & decretalibus erat comprehensum: idque manifeste probatur, non solum ex eo, quod vetus Codex Canonum illis esset incognitus, sed etiam ex Concilio Constantiensi.*

CAPUT. V.

PEtro de Marca cogimur assentire, quia praxi cohæret. Sed undenam ex communi jure canonico hausta sit libertas Gallicana, de qua agitur, haud satis percipio. Non enim in illo traditur, abjicienda esse rescripta Apostolica, vel repellendas esse Constitutiones Apostolicas, novissimis editas temporibus; vel confundenda esse judicia ecclesiastica cum sæcularibus, ut servitus Putæana erumpat, loco libertatis ecclesiasticæ, quemadmodum Cardinalis Roçcafocaltius superius relatus, una cum aliis Episcopis scite animadvertit.

(1) l. 3. concord. c. 6. n. 5.

Audio id zelo sustinendi illibatos vetustioris disciplinæ Canones attributum censeri, & esse. Sed an verum sit, exploremus. Illi, qui Canones priorum quatuor Conciliorum Generalium illibatos, & inviolatos pro Gallica libertate volunt, paucos ad novissimam disciplinam spectare coacti sunt assentire. Alii qui Capitularia Carolina pro aris, & focis tuentur, majori ex parte nunc exulare a praxi, & foro, affirmare non dubitant. Alii, qui corpus integrum Juris Canonici universæ Ecclesiæ commune se amplecti fatentur, solent identidem pro libertate eisdem refragari, & alienam incompetentem potestatem solicitare. Ecquid stabile, & inconcussum in Custodia Canonum erit unquam tenendum? Ecquid vetustati sacratiori conceditur?

Legatur præfatio a Christophoro Justello præfixa Codici Canonum universæ ecclesiæ, ibique discere fas erit, quantum studiosissimi fuerunt Hispani præsertim Patres, ut intacti vetusti Canones servarentur, & illæsi, adeout in Concilio Toletano II. se subscriberent, adjecta declaratione: *Salva auctoritate priscorum Canonum*. Neque tamen legimus, id arrogatum fuisse pro Hispanica libertate.

Proinde laudatus Petrus de Marca(1) assertam libertatem constituens in usu juris communu-

(1) l. 3. c. 6. n. 5.

munis, unaque cum decretalibus Summorum Pontificum, nihil peculiare profert, quod ab aliis ecclesiis distingui contendat.

CAPUT. VI.

GOffridus Vindocinensis (1) egregie docet: *Quando Ecclesia seculari potestati subjicitur, quæ ante domina erat, ancilla efficitur, & quam Christus Dominus dictavit in Cruce, & quasi propriis manibus de suo sanguine scripsit, chartam libertatis amittit. Hanc enim libertatis chartam vindicavit in Cruce, & suæ sponsæ ecclesiæ per semetipsum dedit; ut homines alios per peccatum factos diaboli servos, ipsa libera liberos, & Dei filios faceret, & suos, qui sibi diligenter servirent, & tanquam bonæ matris devoti Filii humiliter obedirent.* Hæc erat libertas ecclesiastica prædicata in Galliis duodecimo sæculo a Goffrido Abbate Vindocinensi & ipso Gallo. Quamobrem tandem fatetur Petrus de Marca: *Certum quidem est, tunc magnopere celebratum fuisse nomen illud libertatis, cum tempore schismatis, Romani Pontifices (inter se contendentes) dignitati suæ in partes dissipatæ, præsidiis undique conquirendis intenti, ecclesiam novitatibus quamplurimis vexarent.* Itaque anno 1438. habito Bituricis conventu;

(1) Opusc. ad Calistum PP. c. 6.

tu; pluribus Conciliabuli Basileensis in rem suam advocatis decretis, tentatum est auctoritati Pontificiæ terminos ponere, potestatique refragari. Edita enim pragmatica sanctione a Carolo VII. prævaluit laica potestas, relicto libertatis nomine, & fuco ecclesiastico ordini.

Sedata schismatis tempestate execrati sunt Pontifices Romani nefarium schismatis fœtum, Bituricensem scilicet sanctionem, iisdem agentibus Christianissimis Regibus Ludovico XI. & deinde Francisco I. qui manum dedit, ut Leo X. suprema qua pollebat auctoritate, Pragmaticum opus abrogaret, ac penitus deleret, substitutis concordatorum indultis, quibus undique prospectum est Ecclesiasticis rebus, salva, ut decebat, vera, & perenni libertate Ecclesiæ.

Utinam his terminis contenti fuissent scriptores Gallici, quia à contentionibus jamdudum cessatum fuisset. Utinam satis fuisset Archipræsuli de Marca cuncta referre Leoni X. accepta, quin ea adhuc revocare studuisset ad secularem potestatem. Non enim incidisset in censuram olim latam in Pithœi opus, ut superius adnotavi, neque a synderesi sua compunctus, coactus fuisset errorem suum fateri, & emendationem vovere. Hæc constant in epistola ad Innocentium X. scripta an. 1646. sept. Kal. Oct. re-

lata a Stephano Balutio in Prolegomenis præfixis operi de Concordia Sacerdotii, & imperii, in hæc verba. (1) *Fateor*, inquit Petrus de Marca, *eo in libro Principis partes pro muneris mei ratione fovisse, Præsidemque potius implevisse, quam episcopum. Enim vero illud asserere fas est, eo in opere me ... regulas quamplurimas, quæ in Galliarum tribunalibus calent, Sedi Apostolicæ contumeliosas, contrariis definitionibus profligasse ... & ne libri publicati invidia desideriis meis obesset, libello altero Barcinonæ edito, quem huic Chartæ adjunxi, hallucinationes meas deprecatus sum: Opus censuræ Beatitudinis vestræ submisi, quam prona mente amplexurum voveo, & assertorem, vindicemque libertatis Ecclesiasticæ futurum, quod mecum quatuor Archiepiscopi, & octo Galliarum celebratissimi nominis Episcopi Sanctitati vestræ spondent. Quare supplex iterum B. V. exoro, ut .... ad Episcoporum Cathedram a subisellis magistratuum devotissimum sui oratorem traducat, qui & in mystica nominum recitatione, tanti beneficii memor, & in tomorum, qui publicandi supersunt, editione non ingratus aget.*

Aliam retractationis schedulam signavit Petrus de Marca, dum Barcinonæ gravissima affligaretur infirmitate, sui publicati primi tomi pœnitens. Sed an promissis stete-

 rit,

(1) Pag. mihi 120.

rit, videant illi, qui cæteras lucubrationes Balutio adscribunt. Hoc unum dixerim, ipsum de Marca agnovisse, ultra limites se protraxisse libertates Gallicanas, & Ecclesiasticæ sua jura ademisse, aliter non declarasset, nil penitus se intendisse Laicæ potestati concedere, præter ea, quæ ex privilegio Sedis Apostolicæ descendunt. (1)

CAPUT VII.

NUnc ad rem nostram. Quo fato infelici ad hæc devenimus, ut nullo obducto privilegio, nullo criminandi causæ pallio, vel ementito, nulla diffidendi data occasione audeat Placitum Præsens pro commentitia libertate insurgere adversus Romanum Pontificem, ejusque auctoritatem proscindere? Nunquid Concilium Constantiense, vel Basileense in prioribus suis sessionibus hanc facultatem indulsit sæculari potestati, ut Pontificiæ auctoritatis discuteret jura, & privilegia, & definiret terminos, ac fines poneret? Nunquid quæ in nocte schismatis, ingruente tempestate, absque sydere certo, acta sunt, facta etiam tranquillitate in jus sunt deducenda? Væ juribus Regum, & Regnorum, si post sedatum æstum perduellium populorum ad pri-

(1) Balut. in ejus vit. pag. 25. & in schedul. pag. 116.

priſtinam auctoritatem ſeſe revocare non poſſent. Firmam, atque inconcuſſam regulam ab Hoſio Cordubenſi tenemus, quum Conſtantium Imperatorem his affatus eſt verbis. (1) *Tibi deus imperium commiſit, & nobis, quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum, qui tutum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Date*, ſcriptum eſt, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ Dei, Deo*. Hæc eſt regula vera, quam venerati, & tutati ſunt Patres, (2) ut Athanaſius, Gregorius Nazianzenus, Iſidorus Peluſiota, Syneſius, Chryſoſtomus, aliique plures.

Gaudeant ſupremi Principes ſua, qua late patet, dominatione terrena. (3) Non invidet Romanus Pontifex, ſed perpetuo ſupplex divinam largitatem exorat, ut eos incolumes ſervet, fines eorum imperii in Regna infidelium inferat, atque demum in æternam requiem feliciter perducat. Sed minime obliviſci debent, ſingulos, & omnes a Chriſto deſignatos fuiſſe oves ſub obedientia Paſtoris unius, nempe Petri, niſi aliud ovile, quod neutiquam ovium, &

(1) Apud Athanaſ. epiſt. ad ſolitar.
(2) L. de Syn. or. 17.l. 3. ep.149. ep. 53.Hom. 15. ad 2. Cor.
(3) Nicolaus I. ad Imp. Michael.Epiſt. 8.

& agnorum sit, sibi statuere malint. (1) Porro hujus Pastoris auctoritas erga mansuetissimum gregem decreta, quid aliud exigit, ac gestit, nisi humilem obedientiam in iis, quæ Pastorale officium concernunt? Nonne si morbida, quæcumque sit illa ovis, efficiatur, incumbit Pastori, vel illam a cæteris segregare, vel cæteras ab infecta dissociare? Nonne ipsa natura id docet, ipsa Charitas urget, ipsæ scripturæ conclamant?

Palam narrant Scriptores Galli optimatum auctoritate depositum fuisse Chilpericum III. postremum Merovingiorum stirpis Regem, eique substitutum fuisse Pippinum Majorem domus Regiæ; impenseque repugnant, Zachariam Pontificem Maximum quidquam potuisse ad hanc translationem sua auctoritate conferre. Rursus commemorant Ludovico V. luce functo absque liberis, eosdem Regni proceres sceptrum hæreditario jure Carolo Ludovici patruo debitum, ad Hugonem Capetum a stirpe præcedenti alienum transtulisse. Posset etiam referri exauctorationem Ludovici Pii in Conventu Compendiensi edictam, ejusdemque reintegrationem anno sequenti in Conventu apud Theodonis villam, peractam fuisse.

Di-

(1) Maucler Doct. Paris. de Monarch. divin. Eccles. & sæcul. p. 2. l. 3. cap. 15.

Discere hinc cupiunt omnes, an tantum vitilitigatores, & adversarii conentur, Principes excipere a superioritate Papæ, & sibi tantum subdere, ut data justa, urgentique causa potestatem avitam in eos exerant; vel ut facta etiam eorum improbent, illegitimamque successionem declarent? A secundo cavebunt quam maxime, ne invidere videantur Regnanti Dynasthiæ. Igitur vel ipsi tantum supra Deum possunt, vel decantatam Principum independentiam sub Deo recantare coguntur. Cur Parlamentum zelum non prodidit adversus rebellem Advocatorum Consultationem adeo auctoritatem Regiam deprimentem? Quia sibi favebat. Ecce quo tendunt præposteri adulationis conatus, ut videntes non videant, & intelligentes non intelligant. (1) *Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram.* Erudimini quidem ex sententia pervetusta Episcoporum Galliarum, & Germaniæ, qui coacti sub Carolo Magno in Concilio Francorfodiensi, data epistola synodica ad Episcopos Hispaniæ in hæc verba scripserunt. (2) *De filio hominis interrogat (Christus,) & de filio hominis respondit ei Petrus dicens: Tu es Christus Filius Dei vivi: & pro hac laudabili confessione meruit ab ipso Deo Salvatore nostro audire: Beatus es Simon*

(1) Psal. 2. 10.
(2) Labbe Concil. tom. 9.

mon Bariona ... & pro hac gloriosa confessione, Beatum Petrum Principem Apostolorum Cœli, Terræque remuneravit Potestate, dicens: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves Regni Cælorum; & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.

Cæterum, velint, nolint, in suis tabulis retinent irrefragabile monumentum supremæ auctoritatis Pontificiæ, nempe Constitutionem *Pastor æternus* Leonis X. approbante Concilio Lateranensi editam, una simul cum concordatis, ubi abrogata, atque deleta edicitur schismatica Pragmatica sanctio; Una cum omnibus actis, factis, decretis inde secutis, & quacumque auctoritate secutis. Si hæc alicui non probant superiorem potestatem, profecto oculus illius inhæret calcaneo.

Ast quia mendacium sese prodit adhuc invitum, dum placitum Parlamenti ad Concilium Constantiense, perinde atque ad Basim, & regulam provocat, videant sess. 14. & 17. qua auctoritate Patres illi jubeant, ac imperent, comminantes pœnam exauctorationis in Principes, & Reges, si mandatis Concilii non obtemperent. Quod evidenter ostendit sibi proculdubio adjudicasse

in-

inviolabilem poteſtatem ſuperiorem in illos; Quemadmodum exploratum eſt, a nemine reclamatum fuiſſe. Idcirco validum argumentum ſumitur, Pontificiam immunitatem a ſuperiori auctoritate, etiam per ipſam Concilii ſententiam in rem judicatam conceſſiſſe. Eomagis id conſtat, quia idem Conſtantienſe Concilium in propoſita pro futuro Pontifice profeſſione fidei, exhibuit inter alia Lateranenſe IV. & Lugdunenſe I. Concilia, ut apertiſſime tenenda, & recipienda, in quibus plena ſuperiori auctoritate exauctorati Principes decernuntur. Poſtremo Tridentinum Concilium ſui Juris optime conſcium ſeſſ. 25. c. 19. de duello exterminando agens, privat, & exuit Civitate vel loco dominum illum; qui ibi permittit, duellum agere. Viderint interim illi, qui ad Concilium Conſtantienſe, vel ad Concilium Generale appellandum adeo paſſim proclamant, an deploratæ cauſæ ſit ſufficiens patrocinium.

CAPUT VIII.

Agit hæreticorum cauſam, qui Pontificiam auctoritatem comprimit, vel ad anguſtias adigere aggreditur. Poteſt utraque poteſtas in pace componi, ſi alteram altera non lædat, nec alienos fines invadat. Contingit plerumque confinia infrin-

stringi, sed facile reparari evenit, ubi termini spiritualis, & temporalis discreta dispositione custodiuntur. Gregorius IV. audita discordia Ludovicum Pium inter, & filios ad extremum æstuante, in Gallias concessit, ut diffidentium animos honorarius arbiter componeret. Cumque frustra suam curam impendisset, dolens, ac mœrens in Italiam se reduxit. Quid inde moliti sint invidi homines, norunt eruditi; siquidem in Gregorium crimen conflarunt, iniquo in Ludovicum animo alpes transcendisse, ut animum augeret filiis adversus Patrem.

Eodem livore non semel improbi Pontificiæ auctoritati invident, & contabescunt, & si in officiis, & munere spirituali se contineat. Profligantur hæreses, ad Concilium proclamant. Perniciosissima Moralis Theologiæ dogmata censura, & pœnis configuntur, placita Parlamenti objiciuntur. Audacissimi Thesium propugnatores damnatas propositiones exhibent, & latas excomunicationes ob Senatus auctoritatem irrident. Libellos infames, Consultationes impias, Theoremata falsitate plena adversus Ecclesiam, & Ecclesiasticum ordinem in vulgus spargunt, & Ecclesiastica potestas conticescere cogitur.

Gallia, inquiunt, non agnoscit Tribunal Inquisitionis, ideoque nihil ad nos, ajunt, pertinent mandata Papæ ex consilio

S.

S. Inquisitionis prolata. Clausulam *Motus proprii* Gallia non probat, idcirco decretales Pontificiæ hujusmodi inhibeantur. Quid ergo Summo Pontifici superest, ut error cohibeatur, & pereat, dum neque solum, neque cum consilio eum audire placet? Nunquid silere debet, cui æternum imminet væ, si tacet? Nunquid se dedere tenetur mancipium alienæ excogitatæ libertatis?

CAPUT IX.

IN primo Tomo libertatis Ecclesiasticæ Gallicanæ objicitur visui auctor, qui in hæc verba Gallice disseruit. (1) *Il est bon de conserver un honeste libertè, mais il est dangereux de trop deprimer la dignitè du Pape. Car sour couleur de dire, qu'il peut errer, qu'il peut estre depose, e qu'le Concile est par dessus luy, il ne faut pas metre cette dignitè contemptible, subiecte aux appellations, come un petit juge dessous l'orme, e d'un establissement si peu asseure, que toutes propositions soient receves contre luy, ne le render contamptable de toutes ses actions, a la volontè de qualques ambitieux, & calumniateurs. Telles entraprises sont fort dangereux. Moy entrant que la superioritè du Pape ne nous soit point a servitude; nous n' avons*

(1) Pag. mihi 155. n 40. ex Anton. Hotman. in cit. tom.

avons occasion de la calumnier en France.

Si ad hæc verba undique veritatem personantia attendissent ignominiosi placiti auctores, erubuissent forte in auctoritatem Pontificiam insurgere, eique probrose maledicere. Quid enim deterius effutire contingit; quam errorem in Romanum Pontificem devolvere, ejusdemque subjectionem Concilio? Pluribus hoc commentum oppugnatum est, neque vacat acta agere. Ne tamen hæc postrema appendix jejuna procedat, nonnulla apponere cæteris non pigebit.

Adnitente Urbano IV. omnis lapis gnaviter motus fuit pro unione concilianda Ecclesiæ Grecæ cum Latina. Lapis offensionis erat auctoritatis Pontificiæ confessio, quum eisdem proposita esset subscribenda in fidei professione. Scripsit itaque Urbanus IV. ad Michaelem Palæologum, tunc Græcorum Imperatorem in hæc verba. (1) *Ut igitur hujusmodi unitatis (Ecclesiæ) gratia firma, & illibata penitus servaretur, unum eidem unitati dominus, videlicet B. Petrum Apostolorum Principem, caput constituit, & magistrum, ut illam quasi Noe arcam, extra quam animantia derelicta in aquas diluvii submerguntur, in ipso Apostolorum Principe, velut in uno cubito consummaret, eique*

(1) Raynald. Eccl. ad an. 1263. n. 30.

que magisterium Ecclesiæ suæ conferens, & primatum, oves, & agnos suos pascendos, præmissa trina interrogatione commisit ... & ne ipsius Principis fides deficeret aliquando, pro ipso efficaciter exoravit: quod cum postmodum aliarum Ecclesiarum nonnullæ fuerint hæreticorum errore fœdatæ, Romana Ecclesia, cujus idem Beatus Petrus magister extitit, immaculata remansit, nullamque prorsus labem contraxit hæreticæ pravitatis.

Plura in idem argumentum confert Urbanus IV. deinde prosequitur. *Neque huic institutioni dominicæ Sancti Patres postmodum restiterunt, sed ipsius Principis successorem, tanquam illum, qui Christi vices in terris obtinet, venerantes, & ad ejus judicium in fidei recurrentes dubiis, ejus auctoritate hereses condemnarunt, manentes sicut membra in eorum capite, Apostolico scilicet throno Pontificum Romanorum, a quo quærendum est, quid sit tenendum, quidve credendum; cum ejus sit reprehendere, statuere, ordinare, disponere, præcipere, solvere, & loco illius ligare, qui ædificavit illum, & quod nulli alii, sed ipsi soli, quod plenum est, tradidit, & concessit. Huic etiam throno omnes Catholici jure divino caput inclinant, & primates mundi veram confitentes fidem, tanquam ipsi domino Jesu obediunt, & intendunt: ac in illum tanquam in solem*

respiciunt, & ab eo lumen veritatis, & fidei adsalutem recipiunt animarum.

Iisdem vestigiis jugiter insistens Clemens IV. Urbani successor, eodem plane animi, ac doctrinæ fervore prædicta confirmavit, ad laudatum Palæologum scribens. Verba sunt. (1) *Ipsa quoque sacrosancta Romana Ecclesia summum, & plenum primatum, & principatum super universam Catholicam Ecclesiam obtinens; quem se ab ipso domino in B. Petro Apostolorum Principe, seu vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse, veraciter, & humiliter recognoscit: sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debet judicio diffinire: Ad quam potest gravatus quilibet in negotiis ad forum Ecclesiasticum pertinentibus appellare. Sed & in omnibus causis ad examen Ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest recurri judicium; & eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque prælati, & obedientiam, & reverentiam sibi debent: apud quem sic potestatis plenitudo consistit, quod Ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit; quarum multas, & patriarchales præcipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit; sua tamen prærogativa, tam in* ge-

(1) Raynald. ad an. 1267. n. 78.

generalibus Conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva.

His præjactis prosequitur Clemens IV. Imperatorem Michaelem instruere, atque docere. *Porro*, inquit, *præscriptam purissimam, certissimam, & solidissimam orthdoxæ fidei veritatem, evangelicæ doctrinæ consonam, a Sanctis Patribus traditam, & Romanorum Pontificum diffinitione firmatam; sicut nec decet, sic ne volumus novæ discussioni, ac deffinitioni subjacere, ipsam quasi per hoc quomodolibet contra fas, & licitum in dubium revocando. Ideoque licet in præfata scriptura de convocatione Concilii ageretur; licet tu per tuas præfatas literas Concilium in terra tua convocari patieris, nos tamen nullo modo proponimus Concilium ad discussionem, seu diffinitionem hujusmodi convocare: non quod cujusquam faciem vereamur, vel eandem Sacrosantam Romanam Ecclesiam Græcorum superari prudentia timeamus; sed quia prorsus indecens foret, imo nec licet, nec expedit in dubium revocari præmissam veræ fidei puritatem, tot sacræ paginæ auctoritatibus, tot Sanctorum roboratam sententiis, tot Romanorum Pontificum stabili diffinitione firmatam, pro cujus defensione, si necesse foret, parati essemus subire martyrium, & morti etiam exponere corpus nostrum.*

Quæ omnia post exactam mysteriorum,

& Sacramentorum fidei explanationem proposita fuere a Clemente IV. Imperatori Græcorum, nedum ad mentis instructionem, sed & pro formula professionis fidei edenda ab ipso, una cum subditis, ad protestationem sinceri recessus a schismate, & ad Ecclesiæ utriusque in fide, & Charitate confœderationem; ut testantur literæ a Cardinalibus, Sede vacante, datis ad Radulphum Episcopum Albanensem, quibus exposcunt in hæc verba: (1) *Volumus siquidem, quod in Concilio de Græcis generaliter congregando, memoratus Imperator, Patriarcha Græcorum, Archiepiscopi, Episcopi, Archimandritæ, Abbates, & alii Ecclesiarum prælati, Clerus, & populus supradicti eandem fidei veritatem, & primatum Ecclesiæ Romanæ, juxta seriem in præmissis literis ejusdem Domini Papæ Clementis expressam, plene, ac seriose lectam, & expositam fideliter, explicite, ac aperte hoc modo recognoscant, acceptent, & profiteantur, præstito juramento.*

Ne nimius sim, paucis cætera complectar. Eadem iteratis verbis scripsit Gregorius X. (2) ad Palæologum, se referens ad exactam professionem fidei propositam ab Urbano, & Clemente prædecessoribus suis quam enixe postulat ante omnia emittendam esse. Michael Imperator expectationi ple-

(1) Raynald. ad an. 1270. n. 4.
(2) Raynald. ad an. 1272. n. 17.

plene respondit, ut patet ex ejusdem literis in (1) Generali Concilio Lugdunensi tunc coacto, & grandi omnium lætitia celebrata est conjunctio utriusque Ecclesiæ, ac schisma sublatum est.

Quid proinde ex hac historia validi argumenti promendum sit, sequentia evincent.

CAPUT X.

NE præterire videar alterum articulum tot invictis momentis jam explosum, liceat mihi tantisper digredi, me revocando ad Concilium Generale Lateranense sub Alexandro III. celebratum, in quo decretum legitur, indictum de electione Summi Pontificis. Ibi explicata electionis methodo, recursus non prohibetur ecclesiis in hęc verba; (1) *Ex hoc tamen nullum Canonicis constitutionibus, & aliis ecclesiis, præjudicium generetur, in quibus majoris, & sanioris partis debet sententia prævalere: quia quod in eis dubium venerit, superioris poterit judicio diffiniri. In Romana vero Ecclesia aliquid speciale constituitur, quia non potest recursus ad superiorem haberi.*

Ad propositum nunc redeo. Ecquis sibi constans fingere unquam poterit, tot Ro-

(1) Idem ad an. 1274. n. 15.
(2) Init. Concil. Lateranens. apud Binium.

manos Pontifices, tot celebrata Concilia Generalia numero Episcoporum adeo frequentia, voluisse urbi, & orbi illudere, prædicando, docendo, & exigendo professionem fidei de suprema auctoritate Romani Pontificis in fidei definitionibus, in independentia a superiore judicio, cum superiorem nesciat; si hujusmodi privilegia sua non constarent veritate, & firmitate? Ecquis tam probrose desipiet, ut velit in articulis disceptationi dimissis, parum consulte Ecclesiam latinam intendisse, Græcos in schisma prolapsos confovere, in perniciem infinitam animarum, si profiteri detrectassent unum de auctoritate Papæ omnimoda inconstans dogma? Nonne in eodem versarentur errore, & culpa æternum dedecus, & pœnam luituri, una cum Sede Romana, ipsi orbis Episcopi, ipsa quoque universalis Ecclesia, quæ vidit, probavit, & nunquam ausa est reclamare, vel dolere?

Si definitiones fidei a Romano Pontifice latæ exigebant ad irreformabilem firmitatem ecclesiæ consensum, cur adeo insignis circumstantia impune omissa apparet in tot epistolis ad Græcos datis, in tot decretis Concilii Generalis, vel in ipsa schedula professionis fidei proposita ab Ecclesia latina, ut necessarium testimonium interioris devicti animi in ejusdem fidei obsequium? Cur de superiori auctoritate Concilii, ne ullum

qui-

quidem verbum factum est, neque per umbram tentatus est animus ad Ecclesiam redeuntium?

Hoc unum dixi, & repetere cogor. Probe sciebat Ecclesia Latina; Probe noverat Ecclesia Græca, hæreticos duntaxat Arianos sibi primo impudentissime arrogasse, in jus vocare Romanum Pontificem, quum discedendo a Concilio Sardicensi, aliud Concilium facere præsumpserunt. Exemplum iniquum imitati sunt Nestoriani, & Eutychiani duce Dioscoro, & prosecutus est Photius. Notissimum Græcis erat, opus tantum fuisse hæreticorum, tam Donatistarum, quam Pelagianorum, a sententia Romani Pontificis provocare ad Concilium, adeoque illi superiorem judicem per summum nefas constituere. Pro comperto utraque Ecclesia habebat dogmaticas Romanorum Pontificum decretales, non nisi ab hæreticis circumscribi, ut mos eorum continuo fert, neque nisi ab Ariana factione adinventum esse consensum Ecclesiæ poscere, & expectare, ut fidei definitiones indeclinabiliter teneantur, quemadmodum in prima dissertatione adnotavi. Igitur æquissime prælibati Summi Pontifices, & postremo Lugdunense Concilium vehementius institerunt, ut ab Imperatore, Ecclesiaque Græca proposita fidei professio emitteretur, & ipsi postulatis annuere non dubitarunt.

Addere placet testimonium totius orientis trans Euphratem usque ad Indos per Simonem SulaKam electum Patriarcham illarum partium ad Julium III. exaratis literis delatum, quod Andreas Masius latine reddidit in hæc verba: (1) *Patri Patrum, & Pastori Maximo, concinnanti Mitras, ungentique Sacerdotes, & cingenti Zonis, Petro temporis nostri, ac Paulo dierum nostrorum, & cingulo comprehendenti universum cœtum Christianorum, qui es loco Christi Domini nostri. Tu sedes in sede alta, & sublimi Principis Apostolorum tenentis claves Regni Cælesti & super eum fundavit Ecclesiam suam, adversus quam portæ inferi non valebunt in generatione generationum. Nunc porro tibi eam dedit Christus Deus noster, & Salvator noster, ut sedeas super eam. Tu item es fons vivus, cujus aquæ non deficiunt; & quisquis sitiverit, æquum est, ut ex te bibat aquas vitales, ut sedet sitim suam. Tu es lucerna, quæ non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, ut candela, quæ est supra candelabrum, & ut Joannes Baptista, qui posuit dexteram suam super caput Christi Dei nostri: & in te videt lumen universa Respublica Christiana, quæ est proles Ecclesiæ sanctæ .... Tu es caput omnium Patrum, sicut erat Petrus caput omnium discipulorum,*

cui

(1) in vita Jul. III. Spondan. ad.an. 1553. n.16.

cui ut est data sedes alta, & sublimis in terra; sic his ultimis temporibus alta, & excelsa est sedes tua, ipsa Roma magna, & celeberrima. Poscebant supplices, ut a Julio III. in Episcopum electum confirmare Simonem dignaretur: *Quia Sacerdotium nostrum a priscis temporibus a Roma est, quae est Sedes Petri.*

Quid superest dicendum? Recolamus Christi Domini sententiam: (1) *Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.*

CAPUT XI.

SUb initium superioris saeculi libellus Edmundi Richerii *de ecclesiastica, & politica potestate*, publici juris factus est, malis artibus consarcinatus, pessimisque doctrinis consperfus, adversus ecclesiasticam potestatem, sed verius utramque, nempe & laicam susdeque confundens; & quamlibet hierarchiam, & Monarchiam ad Democratiam, vel Aristocratiam deducens. (2) Statim synodali judicio sub eximio Cardinali Perronio Senonensi Archiepiscopo proscriptus fuit, adjecta clausula, salvis tamen juribus tam Regis, quam Ecclesiae Gallicanae. Iterato spiculo idem liberius eodem anno confos-

(1) Matth. 12. 41.
(2) Spondan. ad an. 1612. n. 3.

fossus extitit, in Synodo Aquensi, a qua absque præfata clausula, jure damnatus est, tanquam continens multas propositiones, expositiones, & allegationes falsas, erroneas, scandalosas, schismaticas, & ut sonant, hæreticas. Ad se rediit Richerius, (1) quia declarare non omisit, quascumque suas propositiones Ecclesiæ Romanæ, & S. Sedis Apostolicæ judicio subjicere, eam Matrem, & Magistram omnium ecclesiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoscendo, & eas, quatenus eidem Romanæ Ecclesiæ essent contrariæ, improbando, & condemnando. Hanc declarationem consignavit Cardinali amplissimo Richelio tunc domus Sorbonæ provisori, ediditque a se scriptam fuisse coram testibus, & obsignatam, ut perenne suæ pœnitentiæ testimonium. Occasione hujus libelli a Richerio editi Facultas Parisiensis (2) consulto decrevit, ut mos antiquus reintegraretur, jurandi in decreta Summorum Pontificum; jussitque, ut Baccalaurei in Theologiæ actibus respondentes, omnino hanc præceptionem implerent. Utinam nunquam hæc decreta violata fuissent, quia neque pœnitudini locus superfuisset.

Eadem cura mox, ac Parisiis visa sunt volumi-

(1) Duall. in oper. adv. Richer.
(2) Spondan. ad an. 1629. n. X.

lumina (1) *Jurium, & libertatum Gallicanæ Ecclesiæ*, earumque probationes, quæ servitutem vere inducebant sub specioso titulo libertatis, & classicum schismati canebant, Regium Consistorium, primo vetuit, ne a typographis distrahi vel vendi possent; deinde Episcopi, ut diximus, ea absque mora proscripserunt, atque damnarunt. *Nescit enim* (inquit Spondanus) *Ecclesia Gallicana libertates, quæ malum operentur. nescit jura, quæ illam a Romanæ Matris suæ firmissima connexione, & filiali obedientia divellant, ac separent. Quæ vero legitima sunt privilegia, & sinceræ libertates, tam ipsius Ecclesiæ, quam Regis, & Regni, eas ad sanguinem usque parata est defendere, ac tueri*. Vim suam igitur habeant Concordata, & omnia in pace quiescent.

Eosdem libros adeo infensos Apostolicæ Sedi prohibuit, & confixit Romanus Pontifex per decretum latum sub die 26. Octobris 1640. Prius tamen Romæ Richerii opus, & Commentaria ad synodale responsum Simonis Vigorii proscripta fuere an. scilicet 1613. deinde Apologia ejusdem auctoris sub die 16. Martii 1621. ejusdem furfuris, damnata fuit. Item opuscula anonyma de libertate Ecclesiæ Gallicanæ sub die 3. Julii 1623. decretum Romæ editum confixit. Eandem prorsus materiam injuriosam, &

(1) Spondan. ad an. 1639. n. 1.

& procacem adversus jura ecclesiastica, & Pontificia prohibuit Romana Sedes *in tractatu appellationis ab abusu*, sub die 15. Februarii 1625. Librum de cavendo schismate, auctore Rabardeo, pariter Romana Sedes confixit sub die 28. Martii 1643. inussa ei censura, quod contineat multas propositiones respective temerarias, scandalosas, piarum aurium offensivas, seditiosas, impias, potestatis Pontificiæ penitus destructivas, immunitati, & libertati ecclesiasticæ contrarias, novatorum hæresibus proximas, erroneas in fide, & manifeste hæreticas.

His adjungenda venit proscriptio duorum tomorum de libertatibus Ecclesię Gallicanę, quos confutavit ipse Clerus Gallicanus & regio edicto lato sub die 20. Decembris 1658. suppressi declarati fuere. Quos cum Petrus de Marca reintegrare sit conatus in libris de Concordia sacerdotii, & Imperii, iterato stigmate Romæ sub die 11. Junii 1642. & 8. Decembris 1646. confixi sunt. Accedit condemnatio censuræ a facultate Parisiensi factæ contra librum Jacobi Vernantii pro auctoritate Pontificia pugnantis, quam censuram ut præsumptuosam, temerariam, atque scandalosam Alexander VII. delevit annos 1665. Item accedit condemnatio compendii ad dissertationem de causis majoribus ad cap. de causis procusi anno 1679.

quod

quod ſub die 18. Decembris, edito Motu proprio, interdixit Innocentius XI. adjecta cenſura, qualiter contineat doctrinam ſchiſmaticam, de hæreſi ſuſpectam, & ſanctæ ſedi injurioſam.

Prætereo ſexcentos alios libros, Theſes, folia, inter quæ opera Lauonii, Meimburgi, Natalis, & alia ſeveris Sanctæ Sedis decretis, cenſuriſque damnata; nec non alios plurimos libellos occaſione Clementinę Conſtitutionis *Unigenitus* procuſos, quos improvida, ac imporuna ſcriptorum audacia obtulit, qui ejuſdem Clementis XI. ſanctione quomodolibet editi, vel edituri proſcripti decernuntur; perinde ac ejuſdem malevoli animi erga Romani Pontificis auctoritatem. Collimant enim in eundem ſcopum deterendi divinam ei inditam a Chriſto poteſtatem, vel ut concilio ſubjiciant, vel ut imminuant Paſtoralem eminentiam ſupra omnes, & ſingulas oves, vel ut infallibilitatis prærogativam convellant. Perperam tamen concutitur, quum tot fulmina Vaticana ſatis ſint ad defenſionem jurium Apoſtolicæ Sedis, & ad everſionem Babelicæ turris extollentis ſe, ut portæ inferi prævaleant.

CA-

CAPUT XII.

NOnnulla alia dictis contexere non gravabor, ut amplius pateat, quam acerbe, æque ac juste commoti sint Romani Pontifices, quum privilegia suæ Sedis persenserint compuncta, ac læsa. Notissima sunt jurgia improbitate temporum exorta ad labefactandam Sancti Gregorii VII. constantiam; sed pariter notum est qua animi fortitudine steterit, quum in Concilio Romano irruit in hostes opportunis sanctionibus, & plene jura Apostolica vindicavit. Joannes XXII. lata constitutione *Licet juxta*, temeritatem Marsilii Patavini, & Joannis Jamduni coercuit. Martinus V. edita constitutione *Inter cunctas*, in exitu Concilii Constantiensis errores Joannis Wiclephi, & Joannis Hutz adversus Papatum effusos, compescuit. Eugenius IV. per decretalem *Moyses* in Concilio Florentino factam, Basileensium jactatas veritates ad orcum amandavit: Aliisque constitutionibus datis, nempe illa *Cantate Domino* Jacobitas instruxit, & altera *Exultate* Græcos ad ovile reduxit. Sixtus IV. evulgata Constitutione *Licet ea*, errores Petri de Osma profligavit. Alexander VI. per Constitutionem *Inter cætera*, quantum valeat Pontificia aucto-

auctoritas, ostendit, ad Americanas gentes in ditionem Hispanam redigendas.

Neque alia documenta potiora deficiunt. Leo X. per Constitutionem *Pastor æternus*, in Concilio Lateranensi emanatam, abunde eminentiam Romanæ Sedis tuetur, & prodit. Strenue idem Pontifex Maximus in Lutherum insurgens, emissa Constitutione *Exurge domine*, plurimos protrivit errores, quorum in vigesimo octavo impius ille Sycophanta sequentia effutire non erubuit. *Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum, aut hæresis, contrarium sentire; præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit, per Concilium Universale, alterum reprobatum, alterum approbatum*. Nescio, an alter casus se offerat huic doctrinæ damnatæ similior, quam præsens discrepantia super Pontificia auctoritate, & potestate, quam amplissimam, & nemini subjectam non tantum major, sed maxima pars Ecclesiæ veneratur, & profitetur.

Tandem dimissis cæterorum Pontificum constitutionibus, quibus hujusmodi injuriosæ Sanctæ Sedi assertiones toties illisæ, & protritæ enunciantur, ad Alexandrum VIII. Pontificem Maximum prope finem elapsi sæculi divenimus. Hic ille est, qui audita quorumdam scriptorum in spargendis erroribus audacia, decretum edidit sub die 20.

De-

Decembris 1690. quo 31. propositiones proscripsit, inter quas 29. est sequens: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.*

Denique idem Alexander VIII. quum adhuc pendulam vidisset interdictionem ab Innocentio XI. paratam assertarum propositionum, quas Clerus Gallicanus in Comitiis anni 1682. enunciaverat, de auctoritate seu Pontificia, seu Ecclesiastica, male decernens, edita Constitutione sub die 30. Januarii 1691. propediem moriturus denunciavit, & declaravit eas, & quæcumque acta inde secuta, vel forte secutura, esse, & fore irrita, invalida, inania, omni effectu vacua, ac nullius valoris, ac roboris, perinde ac si nunquam emanassent, atque adeo ad majorem vim eas, & ea cassat, irritat, ac penitus delet. Pontifex virtute præstantissimus, animoque fortis, strenuus vindex Apostolicæ Sedis jurium, palam fecit, quantum Sanctæ Sedi cordique semper fuerit Romanorum Pontificum injurias propulsare, opinationibus exoticis adversari, vim vi repellere, semperque eam auctoritatem, & potestatem superiorem, ac invictam opponere, dum lædi, ac dirui improvide creditur.

CA-

CAPUT XIII.

POEnituit plures in auctoritatem Pontificiam insolenter fuisse invectos, quapropter caocti fuere ad Innocentium XII. datis litteris scribere in hæc verba: *Se de gestis hujusmodi* (nempe Comitiorum Cleri an. 1682. Parisiis habitorum) (1) *vehementer quidem, & super omne id, quod dici potest, ex corde dolere, ac quæcumque in præfatis Comitiis, sive circa Ecclesiasticam potestatem, & Pontificiam auctoritatem decreta, sive in præjudicium jurium earumdem Ecclesiarum deliberata, pro non decretis, nec deliberatis habere, & habenda esse; serio insuper spondentes, se ita in posterum gesturos, ut nihil penitus de vera eorum erga Sanctam Sedem obedientia, ac debito pro juribus ipsarum Ecclesiarum defendendis zelo desiderandum supersit.*

Et quum Rex Ludovicus XIV. lato edicto jussisset, assertas Cleri propositiones ab omnibus tradi, & haberi, debere; ipse eundem Innocentium certiorem reddidit, *se nuperrime Regium illud edictum, quo in his comitiis Cleri Gallicani edita de potestate Ecclesiastica declaratio firmabatur, ita haberi jussisse, ut neminem ad illius observantiam teneri perspectum sit, ac exploratum.*

(1) Gravef. tom. 8. p. 1. fol. 192.

Hausit Christianissimus Rex a majoribus suis derivatam erga Romanos Pontifices devotionem, quam perennem testatam habemus in Ecclesiasticis monumentis.

Etenim Carolus Magnus erga Sanctam Sedem religiosissimus, quum in Romana Synodo una cum Gallis Episcopis, & Regni sui optimatibus adesset ad vindicandum Leonem III. ab improbis appetitum calumniis, uno ore conclamatum est: *Se Apostolicam Sedem, quae est caput omnium Dei Ecclesiarum, judicare non audere; cum ex antiquo more omnes illa judicet, & a nemine judicetur:* (1) Ut testatur Anastasius.

Ludovicus Pius filius Caroli M. & hæres paternæ pietatis, quantum agnoverit in Romano Pontifice juris, & potestatis, constat ex literis ad Eugenium II. datis, quas recenset (2) Spondanus. Rursus constat ipsum Ludovicum, in repetitis partitionibus sui Regni inter filios suos studiosissime adscribi voluisse caput: *De cura, & defensione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cæterarumque Ecclesiarum majorum suorum exemplo habenda.*

Carolus Calvus etsi subiratus scripsisset ad Hadrianum II. (3) suæ religionis attamen oblitus non est, sed protestatus est non igno-

(1) in vita Leon. III.
(2) ad an. 825. n. 1. & ad an. 838. n. 1.
(3) Inter op. Hincmar. epist. 42.

ignorare, quidquid a Sede Apostolica decretum esset, sequendum, & tenendum fore.

(1) Sæculo XII. scribebat Villelmus Episcopus electus Carnotensis ad Alexandrum III. *Inter omnia Regna Mundi non est, ex animi mei sententia, regnum, quod fidem sinceriorem, charitatem ferventiorem, devotionem uberiorem Apostolicæ Sedi semper exhibuit, quam Francorum. Non est inter Reges, & Principes, qui benignius exaudiat preces vestras, qui mandatis obediat humilius, qui Ecclesias, & viros Ecclesiasticos honoret devotius, & studiosius tueatur, Christianissimo Rege nostro.*

Comprobavit Villelmi encomia Ludovicus XI. quum de abrogata pragmatica sanctione certiorem reddidit Pium II. in hæc verba: (2) *omnibus itaque victimis potentiorem obedientiam intelligentes, assensi sumus his, quæ tuo nomine nobis aperta sunt. Ipsam scilicet pragmaticam sanctionem tibi, tuæque Sedi infensam, utpote, quæ in seditione, & schismatis tempore, atque per seditionem, factionisque a tua sede figuram nata sit; & quæ dum tibi, a qua sacræ leges oriuntur, & manant, quantamlibet eripit auctoritatem, omne Jus, & omnem legem dissolvit... Quippe quæ adversus tuam sedem omnium ecclesiarum Matrem, ab inferioribus Prælatis*

(1) Baron. ad an. 1168. n. 18.
(2) Raynald. ad an. 1461. n. 118.

tis lata est, tanquam, ut scriptura loquitur: Quomodo si elevetur virga contra levantem se, aut baculus, qui utique lignum est... Te tamen Principem totius Ecclesiæ, Antistitem sacrorum, Te dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus; Teque jubentem sequimur, Tibi, & Beatissimi Petri Cathedræ consentimus, & jungimur. Itaque sicut mandatis, Pragmaticam ipsam a Regno nostro, nostroque Viennensi Delfinatu, & omni ditione nostra, per præsentes pellimus, dejicimus, stirpitusque abrogamus.

Pari devotionis obsequio testatus est per suos oratores in Concilio Lateranensi Ludovicus XII. Leoni X. Pontifici Maximo, ut ex actis ejusdem Concilii colligere est. Sed quorsum hæc fundimus, si modernum Parlamenti placitum omnes laudes evacuat, ipsorumque Christianissimorum Regum egregia facinora disjicit, & absumit?

CAPUT XIV.

QUoniam una vox est plurium, peritioribus exceptis, antiquas, ac pervetustas Conciliorum sanctiones, Romanorumque Pontificum decretales, una cum invectis usibus, & consuetudinibus Regni, libertates Gallicanas componere, præcipue adversus Pontificiam auctoritatem; introspicere oportet, an hæc opinatio veri-

tati

tati cohæreat. Absque dubio est Capitularia Caroli Magni, Ludovicii Pii, & Lotharii inter vetusta monumenta Regni Galliarum recenseri, ibique leges pro ecclesiastica disciplina resarcienda, & perficienda sancitas fuisse, ut pro inviolabili observantia deinceps regulam figerent. Perpetuo in illis referuntur decreta capitula ad Conciliorum Canones, vel ad Pontificum Romanorum statuta conformia, quibus pari mentis, & oris demissione, ac reverentia obedientiam Apostolicæ Sedi conciliant, & urgent.

Placet nonnulla capita percurrere, ne facta a dictis discrepare quispiam suspicetur. In codice Capitularium Gallorum ab Ansegiso Abbate, & Benedicto Levita collectorum, legere est lib. 6. cap. 267. *Ita unanimes divinis, & Apostolicis constitutionibus serviatis, ut in nullo patiamini pia Canonum decreta violari. Ut nulli fas sit, sine status sui periculo, vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ Sedis decreta temerare.* Eodem libro cap. 287. sancitum est: *Auctoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Item: *Nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, suo tempopore Apostolica, atque Canonica vocatione congregata super quibusdam criminibus pulsatus audiatur.*

Item ibidem: *Si quæ causæ, vel contentiones inter Clericos, & Laicos tam majoris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit, ut secundum Synodum Nicænam, congregatis omnibus ejusdem provinciæ Episcopis, jurgium terminetur; nec cui liceat, sine præjudicio tamen Ecclesiæ Romanæ, cui in omnibus causis debetur reverentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei ecclesias nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Si autem majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, ut Sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post judicium episcopale, referantur.*

Eodem lib. cap. 299. dictum est: *Si quis episcopus depositus agendum sibi negotium in urbe Roma proclamaverit, alter Episcopus in ejus Cathedra post appellationem ejus, qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit judicio Romani Pontificis determinata.*

Lib. 7. c. 90. legitur sancitum; *Providendum est in omnibus, ne in aliquo Apostolica, vel Canonica decreta violentur.*

Item cap. 91. habetur: *Carolus gratia Dei Rex regnique Francorum rector, & devotus Sanctæ Ecclesiæ defensor, atque adjutor, in omnibus Apostolicæ Sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, & maxime episcoporum, ac reliquorum Sacerdotum consultu, &c.*

Item

Item cap. 104. Vetat Carolus Sacerdotibus ire ad pugnam: *adjuncto Leonis Papæ, & omnium episcoporum spiritu*.

Item c. 111. *Ut episcopum apud Judices publicos nemo audeat accusare; sed aut apud primates diœcesearum, aut apud Sedem Apostolicam*.

Item c. 124. *Placuit, ut quandocumque accusatur episcopus, si comprovinciales, aut vicinos suspectos habuerit, sanctæ, & Universalis Romanæ Ecclesiæ appellet Pontificem, ut ab eo quidquid justum, & Dei placitum fuerit terminetur*.

Item c. 187. de Chorepiscopo Arnone agitur, ubi legitur: *Quod jurgium cum enucleatius discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc Apostolicam Sedem consulere, jubente Canonica auctoritate... Quapropter Arnonem Archiepiscopum misimus ad Leonem Apostolicum; ut quidquid definiendum esset, Apostolica auctoritate a nostris Episcopis regulariter sopiretur*.

Item c. 241. Si Clericus vel Episcopus habuerit querelam adversus Metropolitanum, *petat primatem diœceseos & apud ipsum judicetur, aut apud Sanctam Sedem*.
Item cap. 265. *Constitutiones contra Canones, & decreta præsulum Romanorum, seu reliquorum Pontificum, vel bonos mores, nullius sint momenti*.

In addit. IV. c. 12. habetur: *Nullus E-*

piscopus, nisi Canonice vocatus, & in legitima Synodo suo tempore Apostolica auctoritate convocata (cujus jussione domini, & meritis Beati Petri Apostoli singularis congregandorum Conciliorum auctoritas, & sanctorum Canonum, ac venerandorum Patrum decreta multipliciter privata tradita est potestas) super quibuslibet criminibus, pulsetur, idest, judicetur, audiatur, vel impetretur... Quoniam eadem Sede, testante veritatis voce, primum primatum obtinuit, nec prima diceretur, si aliam super se haberet; quae etiam caput est omnium Ecclesiarum, a qua omnes sumpsere originem. Primatum enim non Synodalibus, aut aliquibus commentis meruit institutis, sed domino largiente, qui ait: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam, & reliqua alia, & his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obviaverit praeceptionibus, non exeat impunitus, sed gradus sui periculo subjacebit.

His, & aliis, quae rescribi possent ex Capitularibus, testimoniis planum fit, quam vetusta sit Gallorum observantia erga Pontificiam auctoritatem, & quam futilis sit novantium inconstantia, qua nunc ad venerandam antiquitatem appellant, & mox ad novissimam aetatem libertates Gallicas revocant; nunc vetustos codices laudant, nunc despuunt, prout libet. Sane constat

ſtat antiquos Principes, nonniſi ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate, Eccleſiaſticas res componere ſategiſſe, & Romanorum Pontificum aſſenſu, atque auctoritate capitula, ac decreta roborata fuiſſe, (1) ſalva in omnibus ejuſdem Sedis ſuperioris auctoritatis plenitudine. Patet qua reverentia, ac animi demiſſione decreta Pontificia intemerata, & inviolabilia tutati ſint, & cuſtodiri voluerint; ut mirari ſubeat, quantum nunc derogare conentur moderni aulici priſcis moribus, quos extollere geſtiunt.

Meminerint itaque aulici eorum, quæ ſcripſit Ivo Carnotenſis ad Robertum Comitem Mellentinum, dicens: (2) *Cum enim gratiam inveneris in conſpectu Regis Anglorum, teſtantur multæ Eccleſiaſticæ perſonæ, quod plus ei placere ſtudeas, quam Regi Angelorum. Non tamen culpamus ei placere in his, quæ Deo non diſplicent: Sed ſi quid molitur Regia poteſtas adverſus Dominum, & Chriſtum ejus, & Eccleſiam ejus; in mente habere debes, quia Chriſti ſanguine redemptus es, quia legibus Chriſti initiatus per Sacramentum eccleſiæ regeneratus es, & illius es liber, qui pro te ſe ſervum fecit, ut libertas tua nihil ſe debere intelligat alicui, quo divinam offendat Majeſtatem, & Eccleſiæ minuat libertatem.*

CA-

(1) Baron. ad an. 819. n. 11. & ſeq.
(2) Epiſt. 179.

CAPUT XV.

FErt Spondanus, Paulo II. Ecclesiæ Clavum moderante, nonnullos in Æquicolis hæreticos prodiisse, (1) *Opinionistas* dictos, qui perversa opinione circumducti pervicaciter contendebant, nullum Christi Vicarium esse illorum, qui Post Petrum fuere, nisi qui paupertatem Christi imitati essent. Ignominia notati gravissima coacti sunt ab errore male parto discedere. Hæc est hominum ad delinquendum proclivitas, ut ab admisso semel in minimis errore in deteriora labantur, & tandem in hæresim corruant. Plane id probat experientia, nihil facilius filium adversus Patrem, nihil pronius discipulum adversus Magistrum incendere, quam jurgiis, & injuriis primo lacessere, mox vel invitos appetere.

Ad declinandam hanc moxam monebat Nicolaus I. (2) Venilonem Archiepiscopum Senonensem, una cum suffraganeis suis, ut a sententia Apostolicæ Sedis nunquam deflecterent. *Antequam ad consulta vestra mentis oculum inclinemus*, inquit Nicolaus, *parumper in laudibus vestris stylum ope-*

(1) ad an. 1467. n. 12.

(2) Epist. 4. apud Sirmund. tom. 3. Conc. Gall. fol. 187.

operæ peretium duximus immorandum; Qui quo vobis eundum, quove in rebus dubiis, atque in magnis ecclesiasticis negotiis esset accelerandum, serenitatis visibus prævidistis, humilibusque devotionis vestris passibus cucurristis. Contra illos nimirum, qui Beatissimi Apostolorum Principis Petri, ejusque successorum luculentissimam doctrinam, sedemque spernentes, quem Dei filius in Sancta Ecclesia sua, tanquam luminare majus in Cœlo constituit, veluti quidam scorpiones palantes in meridie, & cum adhuc dies est, occidit eis sol. Revera ii, & per scientiam Dei, more Balaam, apertos habent oculos, cadunt tamen, quia, obcœcati instar, ipsius avaritia, quo gressum tendere possint justitiæ, non aspiciunt, sed per abrupta, & avia incedentes, dum caput sequi refugiunt, in vasta præcipitia demerguntur. Vos autem fratres charissimi, qui sancto utique spiritu revelante, Apostolicæ Sedis auctoritatem sensu capere, & ad splendorem luminis ejus jam incendere laudabiliter inchoastis, cum illa usque in finem sapere, cum illa semper ambulare studete, ab illa deviare nefas judicate, ab eius discrepare sensu, ne ad modicum quoque momentum consentiatis. Quos illa recipit, & vos recipite quoque, & quos illa respuit, abigere ipsi, sicut ipsa, mementote. Non enim illa respuit, nisi membra, quæ sibi non cohærent, nec a se reci-

recidit, nisi quos in scandalum a multis positos, comprehendit. Non inquam, recidit, vel eruit a se, nisi membrum, quod sanis membris in offensionem, & perniciem noscitur extitisse.

Quod adeo magni momenti censuit antiquitas, ut in octava (1) Synodo Patres non dubitaverint religione,& subscriptione se devincire formulæ ab Hadriano II. transmissæ, qua pollicebantur habere *sequestratos a Communione Ecclesiæ Catholicæ idest non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non esse recitanda mysteria.* (2) Hinc Natalis Alexandri nesciens tam celebri, & manifestæ veritati refragari, fateri coactus est: *Idem esse, sequestratum esse ab Ecclesiæ communione, & non esse consentientem Sedi Apostolicæ.*

Monitum tam præclarum, æque ac necessarium prosequi voluit Hincmarus Remensis Archiepiscopus in hæc verba se explicans: (3) *de omnibus dubiis, vel obscuris, quæ ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, Sancta Romana Ecclesia, ut omnium Ecclesiarum Mater, & Magistra, nutrix, ac doctrix est consulenda, & ejus salubria monita sunt tenenda, maxime*

(1) Act. 2.
(2) Hist. Sæc. IX. diss. 4. §. 13.
(3) In præf. opusc. de divort. Lothar. & Teberg.

me ab his, qui in illis regionibus habitant, in quibus divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & Catbolico lacte nutrivit, quos ad vitam præordinavit æternam. Unde quoniam, ſicut Beatus Innocentius ad Decentium Eugubinum ſcribit Epiſcopum, Manifeſtum eſt in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interjacentes nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos Venerabilis Petrus, aut ejus ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes: oportet ergo eos boc ſequi, quod Eccleſia Romana cuſtodit, a qua eos principium accepiſſe non dubium eſt, ne dum peregrinis aſſertionibus ſtudent, caput inſtitutionum videantur ammittere. Sed & quia Beatus Cœleſtinus ejuſdem primæ Sedis Epiſcopus ad Venerium, & cæteros Gallicanos dicit Epiſcopos; Quia non eſt agentium cauſa ſolorum, quando Univerſalis Eccleſia quacumque novitate pulſatur, & ad Neſtorium Conſtantinopolitanum ſcribens decernit: Quod omnes debeant noſſe, quod agitur, quoties omnium cauſa tractatur.

CA-

CAPUT XVI.

Clam me non sunt effugia, quibus propellitur causa, quam teneo. Omnia referunt ad primatum, nihil ad infallibilitatis, superiorisque eminentiæ supra Concilia Œcumenica, privilegia potiora spectare pertendunt. Sed unum sine altero deficit. Quæ magnifice proferuntur de auctoritate Pontificia, ejusque summo jure omnes docendi, & super rebus fidei, & morum definiendi, & quæ nullibi de cæteris, neque in Concilio coadunatis leguntur, prorsus gestiunt augustiora in Romano Pontifice profiteri, & inesse. Ut planum fiat, expendamus encomium, quod amplissime exhibet Caroli Magni opusculum ad Hadrianum I. (1) transmissum ex totius Galliarum Regni, & Germaniæ in Episcoporum avita sententia.

Ecclesia Romana, inquit, *Sanctæ fidei spiritualibus munita armis, & a fonte, & origine bonitatis salutaribus satiata fluentis, & horrendis, atrocibusque hæresum obsistit monstris, & melliflua prædicationis pocula Catholicis per orbem ministrat Ecclesiis. Nam Beatissimus Hieronymus vir divinis legibus, & multarum linguarum peritia eruditus,*

(1) L. 1. cap. 6. ab Eli. Phili. sive I. B. Tilio Ep. Meld. edit.

tus, dum Bethlemiticis moraretur in arvis, & a Papa Damaso Romæ posito de difficilibus quæstionibus consuleretur, eum pro causis fidei vice versa consuluisse dignoscitur; & sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon, vel quibus in orientalibus partibus communicare debeat, humilibus apicibus, ut apices accipiat, deprecatur. Mira res, & magnis prædicanda præconiis! Interrogat, a quo interrogatur, consulit, a quo consulitur. Qui Magistrum se interpretandis divinis Scripturis sentit, in causis fidei venerandi Pontificis se discipulum minime erubescit; & cui Sacræ legis quæstionum nexus enodat, utrum hypostases dicere debeat, quibusve in oriente communicare, efflagitat. Unde datur intelligi, sanctos, & eruditos viros per diversas mundi partes, scientiæ, & prædicationis lumine coruscantes, non solum a Sancta Romana Ecclesia non recessisse, sed etiam tempore necessitatis, ob fidei corroborationem ab ea adjutorium implorasse. Quod regulariter omnes Catholicæ debent observare Ecclesiæ, ut ab ea, post Christum, ad muniendam fidem, adjutorium petant, quæ non habens maculam, nec rugam, & portentosa hæresum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat. A cujus sancta, & veneranda communione multis recedentibus, nostræ tamen partis nunquam recessit Ecclesia, sed ea Apostolica traditione instruente, & eo, a

quo

quo omne Bonum optimum, & omne donum perfectum, tribuente, semper suscepit reverenda Charismata.

Haud difficili, vel ardua indiget sermo interpretatione. Plus explicant sensus Capitularis Carolini, quam concipi possit. Quid est, quod Ecclesia Romana, nempe Pontifiex summus, satiata fluentis a fonte lucis, qui Christus est, & doctrina hæresum monstra configit, & prædicatione omnes orbis Ecclesias imbuit? Si hæc doctrina, si hæc prædicatio erroris periculum subit, nonne omnes Ecclesiæ eodem inficerentur errore, vel errandi periculo subjicerentur? Et ubi stabit illud Melodunensis Conventus, quo aperte omnibus indictum est profiteri, & tenere eam fidem, (1) *Quam sancta Romana Ecclesia, Magistra, columna, & firmamentum veritatis profitetur, & colit?* Cur in prælibato Capitulari adeo egregie celebratur Hieronymi petitio, qua Damasum ad poscendum suæ fidei præsidium adivit, si accepto responso adhuc fluctuare potuisset dubius, & incertus? Nonne in idem rediisset a Patriarcha Antiocheno, vel alterius Ecclesiæ Episcopo efflagitare consilium?

Verum aliter credidit Hieronymus, aliter sane censuit Auctor Carolini Capitularis. Nemini se fidebat Hieronymus in negotio

(1) Comment. Cler. Gallic. tom. 1. in an. 1579.

gotio fidei, ut plenarie conquiesceret. Idcirco ad Petrum, cui pascendi, & confirmandi oves, & fratres a Christo demandatum est munus, confugit, ab oraculo ejusdem expectans sive dicendarum, sive tacendarum hypostaseon absolutum judicium. Noverat hanc regulam fallendi nesciam esse; Noverat se falli minime posse, si Cathedræ Petri inhæreret Damasi Doctrina imbutus. Si hanc apertam declarationem respuimus, nihil probat Capitularis Carolini argumentum; nihil prorsus Hieronymi exemplum ad rem confert, vel præsidium creat.

Rursus Carolinum Capitulare urget ratione,& exemplo,ut Catholicæ Ecclesiæ Romanam conveniant;nimirum tanquam ad muniendam fidem conterendos, ad hæreticos, ad corroborandas in fide mentes potentissimum adjutorium. Nunc sic compello. Si judicium Romani Pontificis reformabile est a plenario Concilio,eique cum Judice ipso subjicitur, quænam est hæc insulsa, ac pene vacua corroboratio mentis, & fidei munimen a verbis Capitularis celebratum?Quęnam profligatio hæresum, quæ adhuc virus spargunt, neque adhuc postremo confossæ audiuntur a Romano Pontifice? Pugnantia hæc sunt, neque unquam vel arduo labore concilianda.

CAPUT XVII.

AD libertatem plerique etiam hujusmodi opinationes importune revocant. Sed quæ ratio ad id dicendum impellat, prorsus latet. Antiquitas tota silet, adeo ut Petrus de Marca ingenue fateatur: (1) *Ecclesiæ Gallicanæ libertatem eo præcipue fundamento niti, ut supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem, & profiteatur, & omnibus officiis colat*. (2) Neque Pontificem Romanum subesse Concilio, quo ad personam, ut certum habet, ex ipsa Gallicanæ Ecclesiæ sententia. Porro personam dignitate Pontificia indutam dicere immunem a superiori judicio, ipsam autem dignitatem, vel auctoritatem a Concilio dependentem affirmare, extra casum hæresis, aut schismatis, inconstantia nimium sunt. Persona nonnisi per dignitatis auctoritatem supra omnes extollitur, igitur causa per quam extollitur, potiori jure nemini subesse poterit. Itaque penitus alienum est a libertate Gallicana vel contemnere, vel imminuere Pontificiam auctoritatem, multoque minus lædere, vel deprimere.

Alterius libertatis erit forsitan opus, sed nulli fundamento inhærens. Non vetustati vene-

(1) De Concord. Sacerd. & Imp. l. 1. a.2.n.1
(2) Ibic. 3.

venerandæ, quia Carolinum Capitulare fortiter, & apertissime inficiatur, & dictum exprobrat. Non posteriori erumpenti Sententiæ, quia plura obsistunt. Etenim gravissimi Scriptores ex Universitate Parisiensi ex adverso pugnacissime pro Romani Pontificis indivulsis privilegiis concertant. Alii discrepantia interponunt. Alii in una vel altera opinione ex animo distant. Quantum ad ipsos Gallos, quia in Comitiis trium ordinum sub Ludovico XIII. Christianissimo Rege Parisiis (1) habitis, cum ingesta fuisset propositio a delegatis plebeii ordinis circa auctoritatem Summi Pontificis in Reges, perorante Cardinali Perronio, ab Ecclesiasticis, & nobilibus rejecta, ex sanctiori Regis consilio penitus sopita fuit; gratulante per Apostolicas literas Paulo V. Pontifice Maximo. Quod vero spectat ad aliarum Nationum concentum, vel conniventiam, a Meridie inclyta, & Catholica Hispanorum religio satis se adversantem explicuit in censura lata per Inquisitionis Hispanæ officium anno 1683. adversus declarationes Cleri Gallicani in Comitiis præcedenti anno habitis, expositas. Edito quippe decreto, sub die 10. Julii 1683. propositionem hanc: *Papa in decidendis articulis, quæ pertinent ad fidem, non est infallibilis, absque consensu Ecclesiæ*, sequenti censura

(1) Spondan. ad an. 1614. n. 11.

perstrinxit: *est erronea*, *& haeresi proxima.* Aliam propositionem asserentem; *Concilium est supra Papam*: itidem hac censura confodit: *est erronea*, *& schismatica*. Eamdem notam intorsit in propositionem de independentia Regum ab auctoritate Pontificia.

Ab occidente Gallici Regni, Americanæ Ecclesiæ cum Hispanis certissime sentiunt, & unius sunt labii, & professionis. A septemtrione Academiæ omnes, una cum Georgio Strigoniensi Archiepiscopo, & Hungarici Regni Primate, qui per literas encyclicas ad universos Christi fideles in Hungariæ Regno existentes, datas sub die 24. Mensis Octobris ejusdem anni 1682. eas quatuor propositiones, ut absurdas, & detestabiles rejecit, proscripsit, & interdixit, pariter confutarunt, & pluribus censuris idem confixerunt.

Tandem ab oriente, nempe ab Apostolico Throno, Alexander VIII. per suam decretalem Constitutionem *Inter multiplices*, latam in extremo laudabili vitæ cursu, easdem declarationes, & propositiones ex supremæ auctoritatis suæ plenitudine abrogavit, penitusque delevit. An alia pars in orbe extet, quæ a prædictis propositionibus non abhorreat, profecto inane est perquirere. Propterea qua late patet orbis, necesse est affirmare, privilegia Romani Pontificis,

tificis, & si concuti possint ; convelli tamen quacumque arte, vel labore non posse, nisi a rediviva *Opinionistarum* putida secta.

CAPUT XVIII.

Res tandem deducta est ad appellationem a Papæ judicio ad Concilium Generale futurum, quod placitum Parlamenti permittere gestit, & liberum pro usu libertatis Gallicanæ vult esse, & conservari. (1) Petrus de Marca ex animo ad gloriam nationis suæ refert, quod Pontifici Romano tanquam capiti Ecclesię universalis Galli ut membra inserti sint, Ecclesiamque Romanam debita pietate, ut Matrem prosequantur. Rursus indivulsa communione Apostolicæ Sedi consocientur. Videant illi, an hæc recte concilientur, quum passim in cit.tom. libertatis Gallicanæ, hanc neque ad jus aliquod, neque ad privilegium referunt, sed prorsus ad usum per contentionem inchoatum, & per summam injuriam, atque vim violenter invectum, atque protractum.

Fatetur insuper (2) de Marca incogni-

 tam

(1) De concord. Sacerd. & imper. l. 1. c. 2. n. 2.
(2) L. 4. c. 17. n. 4. & 5.

tam fuisse antiquitati appellationem ad futurum Concilium, adeo ut primus omnium, qui hoc facinus aggressus est, ab historicis prodatur fuisse Taddæus Friderici II. procurator, qui a (1) Concilio Generali Lugdunensi medio sæculo tertiodecimo ad futurum frequentius Concilium provocavit. Deinde fatetur, exemplum in parte secutum fuisse Philippum Pulchrum adversus Bonifacium PP. VIII. donec tandem Romani Pontifices ad vitandas has offensiones elegerint vel in Synodis sua proferre judicia, vel latis decretis, & constitutionibus appellationum ausus compescere. Plura de his supra diximus.

Justus Heningus Boehemerus etherodoxus in suis observationibus ad citatum locum, probat, & admittit cum Petro de Marca, (2) olim nunquam auditam fuisse provocationem a Pontifice ad Concilium, quam proinde novitiam quisquis dixerit. Ex præcedentibus liquet communionem cum Sede Apostolica necessario importare, vel idem esse, ac Sedi eidem consentire, His statutis

Pergit urgentissime argumentum. Apellationis usus antiquitatis auctoritate minime probatus, offensio est Romani Pontifi-

cis,

(1) An. 1245.
(2) Ad cap. 17. l. 4. obser. 14. ad §. 2.

cis, qui proinde ut adinventum juri repugnans, horruit, & omnibus censurarum jaculis confodit, & execratus est. Quorsum igitur se prodit integra communio alicujus cum Romano Pontifice, ut capite omnium, si nedum minime cum eodem consentit, sed prorsus per appellationis usum positive dissentit, refragatur, & aversatur?

In remedium extraordinarium, dicitur, adhiberi ad avertendum, vel suspendendum judicii fulmen; esto. Sed contra fas. Sed in offensionem supremi judicis, Patris, & capitis, cui non consentire, est perinde ac dissociari; & consentire est tessera veræ communionis, ut ex Carolino Capitulari didicimus. Iniquum proinde remedium, injustum, & illicitum declaravere Summi Pontifices Martinus V. Pius II. & Sixtus IV. & tanquam schismaticum, & hæreticum conatum rejecerunt: & dum ipsi auctores jactitant, nonnisi ad suspendendum judicii Fulmen adinventum fuisse, neutiquam ad prosequendam partis instantiam, jam patet, ad illudendum prorsus judicium, & Judicem, hanc animarum perniciem procusam esse,

Pugnant, audio, ex adverso potentes. Vibrantur hinc inde censuræ, quæ sese illidunt, & hebetantur. Futilis evasio. *Potentes*, inquit sapiens, (1) *decernunt justi-*

Ee 4

(1) Proverb. 8. 16.

titiam. Æqua lance utrumque juſtitia librat, (1) *Qui novit, loquitur, judex juſtitiæ eſt*. Satis hucuſque diximus: (2) *quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut Servi Dei*.

(1) Prov. 12. 17
(2) Petri 1. 2. 16.

FINIS.

AP-

APPENDIX ALTERA

CONTINENS DOCUMENTA IN OPERE INDICATA.

CONSTITUTIO ALEXANDRI VIII.

Configens, ac delens declarationes Cleri Gallicani editas die XIX. *Martii* MDCLXXXII.

ALEXANDER PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

INter multiplices Paſtoralis officii noſtri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari ſtudio incumbimus, ut Apoſtolicæ Sedis, ac Univerſalis Eccleſiæ, necnon etiam ſingularum Eccleſiarum, locorumque Piorum, ac Perſonarum Eccleſiaſticarum Jura ubique ſarta tecta, ac illibata tueri, & conſervare, eaque adverſus quæcumque, per quæ illis aliquid detrimenti inferri poſſet, tradita nobis divinitus poteſtate vindicare ſatagamus, ſicut omnibus mature, ac debite penſatis, juſtitiæ, ac rationi conſentaneum eſſe in Domino arbitramur. Cum itaque ex quo primum humi-

humilitatem nostram inscrutabili Divinæ suæ Providentiæ arcano in suprema militantis Ecclesiæ specula collocavit Altissimus, præ cæteris, quæ Pontificiæ nostræ sollicitudini sese obtulere, negotiis, illa in primis gravissima, ac nobis, qui charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum Regem Christianissimum, ac florentissimum illius Regnum in visceribus gerimus charitatis, permolesta, & plane acerba acciderint, quæ sive adversus dicti Regni Ecclesiarum jura, sive adversus Romani Pontificis, & Ecclesiæ Universæ auctoritatem, nonnulli Venerabiles Fratres Archiepiscopi, Episcopi, & alii ejusdem Regni Ecclesiastici Viri in Comitiis Cleri Gallicani Parisiis anno 1682. congregati, tum præstito inibi per eos extensioni illius juris, quod vocant Regaliæ, ad omnes dicti Regni Ecclesias assensu, tum edita subinde de potestate Ecclesiastica quatuor Propositiones continente declaratione, peregerunt, quæque ipsa Comitia subsecuta fuerunt mandata, arresta, confirmationes, declarationes, epistolæ, edicta, & decreta quæcumque a quibusvis personis sive ecclesiasticis, sive Laicis quavis authoritate, & potestate fungentibus edita, seu publicata, necnon quæ alias demum nonnullis abhinc annis in Regno præfato eidem Sedi Apostolicæ, Romanæque Ecclesiæ, seu quibuscumque aliis Ecclesiis,

siis, Monasteriis, & locis piis, illorumque respective personis, rebus, bonis, & juribus, seu alias jurisdictioni, vel immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ quomodolibet præjudicialia quovis modo peracta, ac gesta fuerunt. Hæc nos, qui Jurium Ecclesiasticorum assertores in Terris a Domino constituti sumus, dies, noctesque in amaritudine Animæ nostræ cogitantes manus nostras cum lachrymis, & suspiriis levavimus ad Dominum, cumque toto cordis affectu rogavimus, ut nobis potenti gratiæ suæ auxilio adesset, quo ardua hac in re commissi nobis Apostolici muneris partes salubriter exequi valeremus; eaque consideratione adducti, ac ne Supremo Judici rationem villicationis nostræ reddituri negligentiæ in credita nobis administratione argueremur (quantum Divina Bonitas dedit) nihil hucusque prætermisimus, quo præjudicialia præfata ab iisnet, qui ea peregerant, ex animo retractarentur. Verum, quo efficacius, ac uberius Sedis præfatæ, Ecclesiæ Universæ, jurisdictionisque, & immunitatis, ac libertatis Ecclesiasticæ, Ecclesiarumque, Monasteriorum, & locorum Piorum hujusmodi, illorumque personarum præfatarum indemnitati perpetuis futuris temporibus consultum sit, auditis quamplurium ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & nonnullorum

in

in ſacra Theologia Magiſtrorum, ac etiam in Decretis Doctorum ad examen negotii hujuſmodi a nobis ſpecialiter delectorum, qui illud mature diſcuſſerunt, remque totam Nobis expoſuerunt, ſententiis, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, ac fel. rec. Innocentii Papæ XI. Prædeceſſoris noſtri, qui occaſione reſcribendi ad literas, quibus Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii Eccleſiaſtici Viri ſupradicti de rebus ab ipſis geſtis certiorem eum reddiderant, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die XI. Aprilis 1682. expeditas literas improbavit, reſcidit, & caſſavit, quæ in dictis Comitiis acta fuerant in negotio Regaliæ, cum omnibus inde ſecutis, & quæ ſubinde attentari contigiſſet, eaque perpetuo irrita, & inania declaravit, veſtigiis inhærentes; necnon in dictis Comitiis anni 1682. tam circa extenſionem juris Regaliæ, quam circa declarationem de poteſtate Eccleſiaſtica hujuſmodi actorum, ac etiam omnium, & ſingulorum mandatorum, Arreſtorum, Confirmationum, Declarationum, Epiſtolarum, Edictorum, Decretorum quavis authoritate ſive Eccleſiaſtica, ſive etiam laicali editorum, ſeu publicatorum, necnon aliorum quomodolibet præjudicialium præfatorum in Regno ſupradicto quandocumque, & a quibuſvis, ac ex quacumque cauſa, & quovis modo factorum

rum

rum, & geſtorum, ac inde ſecutorum quorumcumque, etiam ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem de neceſſitate requirentium tenores, & datas etiam veriores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis, & exactiſſime ſpecificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, omnia, & ſingula, quæ tam quoad extenſionem Juris Regaliæ, quam quoad declarationem de poteſtate Eccleſiaſtica, ac quatuor in ea contentas propoſitiones in ſupradictis Comitiis Cleri Gallicani anno 1682. habitis acta, & geſta fuerunt, cum omnibus, & ſingulis mandatis, arreſtis, confirmationibus, declarationibus, Epiſtolis, Edictis, & Decretis a quibuſvis perſonis ſive Eccleſiaſticis, ſive Laicis quomodolibet qualificatis quavis auctoritate, & poteſtate, etiam individuam expreſſionem requirente, fungentibus, editis, ſeu publicatis, necnon reliqua omnia quotcumque & qualiacumque eidem Sedi Apoſtolicæ, Romanæque Eccleſiæ, vel juriſdictioni, Immunitati, vel libertati Eccleſiaſticæ, ſeu alias Eccleſiis, Monaſteriis, & locis piis præfatis, illorumque reſpective perſonis, rebus, bonis, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuſcumque quomodolibet præjudicialia in dicto Regno peracta, & geſta,

cum

cum omnibus, & singulis quandocumque & quomodocunque inde secutis, & quocumque tempore secuturis ipso Jure nulla, irrita, invalida, inania, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuo fore, neminemque ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiamsi juramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, vel possidendi, aut præscribendi causam, etiamsi longissimi, & immemorabilis temporis possessio, etiam citra ullam interpellationem, vel interruptionem subsecuta sit, vel subsequatur, acquisitum fuisse, necesse, minusque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecisse, sed perinde ac si nunquam emanassent, vel facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuo haberi debere tenore præsentium declaramus & decernimus. Et nihilominus ad abundantiorem cautelam, & quatenus opus sit, acta, & gesta præfata, aliaque præmissa omnia, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus improbamus, cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuamus, & contra illa, deque eorum nullitate coram Deo protestamur. Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta

tenea quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, etiam specifica, & individua mentione dignis illis non consenserint: nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causæ, propter quas eædem præsentes emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia quacumque causa, colore, prætextu, capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium, vel habere prætendentium consensu, aliove quocunque, etiam quantumlibet magno, ac incogitato, inexcogitabilique defectu, aut ex alio quovis capite a jure, vel facto, aut Statuto, consuetudine, vel privilegio resultante notari, impugnari, invalidari, rectratari, in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci ullatenus posse; sed ipsas præsentes literas semper, & perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores,

res, ac ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ præfatæ Nuncios, alioſve quoslibet quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Apoſtolicis, & in Univerſalibus, Povincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, & quatenus opus ſit, noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula de Jure quæſito non tollendo, legibus quoque, etiam Imperialibus, & Municipalibus, nec non quibuſvis, etiam Juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, conceſſionibus, & literis Apoſtolicis quibuſcumque locis, & perſonis, etiam regali, & alia quavis ſive Eccleſiaſtica, ſive mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac ſpecialem expreſſionem requirentibus, ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus,

effica-

efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ac Conſiſtorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, editis, factis, & pluries iteratis, & quantiſcumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, exprimerentur, & inſererentur, præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, ac derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides ubique locorum, & gentium in Judicio, & extra illud ha-

beatur., quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die quarta Augusti MDCXC. Pontificatus Nostri Anno Primo.

J. F. CARDINALIS ALBANUS.

IN Nomine Domini Amen. Præsenti publico Instrumento cunctis ubique pateat evidenter, & sit notum, quod anno a Nativitate Domni Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo primo, Indictione decima quarta, die vero trigesima Januarii; Pontificatus autem SS. in Christo Patris, & Domini Nostri Alexandri Divina Providentia Papæ Octavi anno secundo. Coram eodem Sanctissimo P. N. præsentibus, beneque audientibus, & intelligentibus Eminentissimis, & Reverendissimis P. P. S. R. E. Cardinalibus Chisio, de Alteriis, Carpineo, Columna, Nerlio, Casanate, Marescotto, Capisucco, de Lauræa, Panciatico, Astallio, & Albano ad id specialiter jussu Sanctitatis suæ convocatis, & congregatis, in nostrorum infrascriptorum ejusdem sanctitatis suæ, & S. Sedis Apostolicæ Protonotariorum de numero Participantium, Testiumque infrascriptorum præsentia, Eminentissimus, & Reverendissimus P. Cardinalis Albanus brevi-

um ſecretorum ſanctitatis ſuæ Secretarius alta, & intelligibili voce, per extenſum, ac de verbo ad verbum, prout jacet, legit, & publicavit mandante eodem SS. P. N. ſupradictum breve. Poſt cujus lecturam idem SS. P. N. dixit, & declaravit, ſe uſque, & ſub die quarta Auguſti proxime præteriti ſubſignaſſe minutam originalem dicti brevis, ejuſque publicationem hodierna die ut ſupra fieri mandavit. Super quibus omnibus, & ſingulis incontinenti ab eodem Eminentiſſimo P. Cardinale Albano nomine Sanctitatis ſuæ nobis fuit injunctum, ut unum, ſeu plura publicum, ſeu publica conficeremus, atque traderemus Inſtrumentum, & Inſtrumenta, prout opus fuerit, & requiſiti erimus; non ſolum præmiſſo, ſed & omni alio meliori modo. Actum Romæ in Palatio Apoſtolico Quirinali in Cubiculo Sanctitatis ſuæ, præſentibus ibidem Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis PP. Petro Dragho Bartolo Patriarcha Alexandrino Præfecto cubiculi ejuſdem Sanctitatis ſuæ, & Marcello de Aſte utriuſque Signaturæ Referendario, ipſius SS. P. N Auditore teſtibus ad præmiſſa omnia, & ſingula vocatis, habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ego Camillus Celleſius Protonotarius Apoſtolicus de numero participantium de præmiſſis rogatus præſens Iſtrumentum ſubſcripſi, & publicavi. In fidem &c.

Ego Prosper Costagutus Protonotarius Apostolicus de numero Participantium de præmissis rogatus præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi. In fidem &c.

Romæ, Typis Reverendæ Cameræ Apostolicæ MDCXCI.

LITERÆ LUDOVICI XIV.

REGIS GALLIÆ

Ad Pontificem Innocentium XII. idiomate Gallico conſcriptæ

TRES SAINT PERE.

J'Aj toujours beaucoup eſperè de l'elevation de Votre Saintetè au Pontificat, pour l'avantage de l'Egliſe & l'avancement de noſtre Sainte Religion. I'en reconnois preſentement les effets avec beaucoup de joje dans tout ce que V. S. à executè de grand & d'avantageux pour le bien de l'un & de l'autre. Cela redouble mon reſpect filial pour Votre Saintetè. Et parce que je tach de lui tèmoigner par les preuves les plus fortes dont je ſuis capable, que je ſuis bien aiſe de faire ſcavoir a V.S. que j'ai donnè les ordres neceſſaires, afin que les affaires contenuës dans mon edit du 2. de Mars 1682. concernant la declaration faite par le Clergè du Roiaume (a quoi les conjunctures d'alors m'avoient obligè) n'avojent point de ſuite. Et comme je ſouhai-

te

te non ſeulement que V. S. ſoit informèe de mes ſentimens, mais auſſi que tout le monde ſcache pars un tèmoignage publie la veneration, quæ j'ai pour ſes grandes & ſaintes qualitez; je ne doute pas auſſi que V. S. n'y reponde par toutes ſortes de preuves & de temoignages de ſon affection paternelle envers moi. Cependant je prie Dieu, qu'il conſerve V. S. heureuſement pendant pluſieur annèes.

FINIS.

Errata	Corrige.
pag. 5. l. 1. cum	eum
6. l. 26. ne deficeret :	ne deficeret
30. l. 11. P. Bernardus	D. Bernardus
31. l. 6. præcinde	præcide
34. l. 29. codibendo	cohibendo
39. l. 16. personæ	personæ
40. l. 27. quia B. Petro	quia a B. Petro
53. l. 2. te	ro
54. l. 7. Linus, est &c.	Linus &c.
l. 23. dimissio	dimisso
55. l. 25. invitæ	invite
72. l. 3. facta credimus etiam	facta legimus, non ideo quia facta credimus, etiam
76. l. 13. ferens	ferens
80. l. 2. subcribendum	subscribendum
100. l. 14. Egyptum	Ægyptum
110. l. 27. confuta	consuta
120. l. 21. nusperit	nupserit
122. l. 20. obrobrium	opprobrium
157. l. 4. illi visibile, huic invisibile	illius visibile, hujus invisibile
161. l. 4. a Pontifice	a Pontifice
184. l. 25. veritati	veritatis
188. l. 2. exagerant	exaggerant
194 l. 16. consilis	consiliis
200. l. 6. Iaque	Itaque
202. l. 8. infaticabiles	infatigabiles
203. l. 6. consultario	consultatio
l. 23. censere	censuere
206. l. 16. reccurunt	recurrunt
208. l. 9. diligentia	diligentia
l. 30. Vicæno	Nicæno
209. l. 22. manifestate	manifestata
l. 25. consolcatia	consultatio
210. l. 3. ctedeatur	credatur
212. l. 2. controversis	controversiis

213. l. 29.	venians	veniam
215. l. 30.	ſanta	ſancta
216. l. 3.	ſuffeciſe	ſuffeciſſe
219. l. 17.	ſplendidus	ſplendidius
223. l. 16.	It	Ita
226. l. 11.	addi	addit
228. l. 24.	aut	ait
264. l. 18.	b ipſa	ab ipſa
271. l. 8.	deſpicentes	deſpicientes
l. 30.	omnipon-tentiæ	omnipotentiæ
282. l. 7.	diſcendi	diſcedendi
293. l. 8.	Coonſtat	Conſtat
294. l. 18.	nemine	a nemine
296. l. 26.	Prius	Pius
304. l. 13.	rum	tum
305. l. 17.	calco	calculo
307. l. 11.	inhærnedo	in hærendo
308. l. 4.	Adveſariis	Adverſariis
339. l. 22.	potere	petere
356. l. 4.	exſtuans	exæſtuans
360. l. 27.	ſchimate	ſchiſmate
364. l. 19.	Princepes	Princeps
l. 30.	fortiu	fortius
369. l. 28.	Aæc	Hæc
371. l. 12.	mirare	mirari
373. l. 10.	que	quæ
391. l. 22.	ſubiſellis	ſubſelliis
406. l. 28.	devicti	devincti
408. l. 14.	cæleſti	cæleſtis
409. l. 29.	liberius	libellus
412. l. 7.	inuſſa	inuſta
417. l. 6.	caocti	coacti
424. l. 10.	Sede	Sedes
l. 16.	meruitt	meruit
426. l. 22.	moxam	noxam
429. l. 16.	ammittere	amittere
433. l. 20.	conterendos, ad	ad conterendos

